

I. N. J.

ISAGOGES

AD

SS. THEOLOGIAM

LIBRI DUO,

De

825

NATURA THEOLOGICÆ,

ET METHODO STUDIÏ THEOLOGICI,
piè, dextrè, ac feliciter tractandi,

Cum examine Methodi Calixtinae.

A U T O R E

ABRAHAM CALOVIO

SS. Theol. D. in Acad. Witeb. PP.

Consist. Eccles. Adsesore, ac Circuli

Elect. Superintend. Generali.

Edita Witebergæ

ANNO DN. clæ Ioc LII.



Sumptibus Andreae Hartmanni,
Bibliopol.

Typis JOBI WILHELMI FINCELH.

1264
Sum M. Martini Kelsii, Holdvitz

R. S. Schol. Si Barb. Lect. 1687. 6. Maii

GENEROSO, MAGNIFICO,

*Summis virtutibus, meritisq; in
Republ. maximis verè Illustri*

HEROI,

DNO. FRIDERICO Mesch /
S. C. M. à Consiliis

Sacri Rom: Imperii Thesaurario,
Sereniss. & Potentiss. Electori Saxonæ
Consiliario intimo eminentissimo,
Proto-Synedrii Dresdensis Præsidi
laudatissimo

TOPARCHÆ in Reichenbach / &
Friesen &c.

HEREDITARIO,

DNO. ET PATRONO SUO

GRATIOSO

S. P. D.

ABRAHAM CALOVIUS D.

ILLUSTRIS HEROS,

DNE. GRATIOSE,



Methodo peropus esse,
ceu Cynosurâ quâdam,
cùm in quolibet Studio-
rum genere, tum im-
primis in SS. Theologiæ Studio ma-
ximè arduo, amplissimo, divinissimo,
nemo

EPIST. DEDIC.

nemo facile iverit inficias. Hæc enim pyxidis instar nauticæ est, navim studiorum in Oceano hoc spatiosissimo gubernans, ut hîc charybdim confusionis, illic scyllam errorum variorum evitans ad portum appellat feliciter; hæc instar Hermæ vialis est, ter monstrans non quâ itur, sed quâ eundum est, ut ad solidæ eruditionis arcem, salioquin inaccessam perveniantur. Quænam autem Methodus in Sacro Studio adhibenda sit, haud una omnium est sententia. Non juvat varia aliorum sive judicia, sive consilia hîc recensere, id tamen sicco pede prætereundum non est, quod è recentissimis hîc diebus mihi sese obtulit, ex eâ profectum officinâ, quæ præ aliis Scholis & informationis accuratioris & doctrinæ solidioris laudem, si Autorem Consilii pro oraculo quis habeat, mereatur, & ab eo præscriptum, qui non sibi tantum, sed & aliis, suis basiatoribus, videtur.

Αἰὲν δεῖσεύειν καὶ ὑπεύροχον ἔμμεναι
 ἄλλων.

Imò Dictaturam quoque in alios Doctores, in alias Scholas, & universitates,

EPISTOLA

tes, at sine suffragio populi, exercere non veretur: ut operæ pretium sit istud audire, ac quid à Magno illo Aristarcho in medium consulatur, in solem & pulverem producere. Adde & necessarium; juventutis imprimis incautæ gratiâ; ne id ipsum arripiat fortè facilius, quàm salubrius, autoritate Veterani Theologi, qui ultrâ XL. annos Theologiam profesus est, fascinata. Videri enim id possit arcanum quoddam à tanto Dictatore civi, eiqve Nobili, adhæc domestico, ac mensæ & familiaritatis consorti magno judicio commendatum, quod radiis illustrioribus ut coruscaret, Responso ad Illustrissimum Principem repetitum fuit, nec tantùm privatis ad Neophytum Pontificium informationem de religione sollicitantem exaratis literis, juxtâ cum aliis, profectò ad informandum Principem in istò statu præclarè facientibus, insertum, sed Ecclesiæ etiam universæ, ne tantis scilicet *κειμηλίοις* careret, cum aliis ejusdem monetæ consiliis, publicitùs communicatum est.

Autorem jam descripsi: est is D.
GEOR-

DEDICATORIA.

GEORGIUS CALIXTUS, Theologiae in Acad. Juliâ Professor primarius, & Cœnobii Regii Lutterani Abbas, à quo quid aliud, nisi exasciatum, judiciosum, solidumq; expectari potest. Qui responsi ad Illustrissimū Hassiæ Landgravium ERNESTUM Appendice (delectatur enim admodum appendicibus, ut nec in literis ad Illustrissima Capita his suum genium defraudari possit) quod & quale Consilium suo Rantzovio de tractando Studio Sacro præscriptum voluerit, his exponit pag. 49. quæ propriis ejus verbis retentis adducimus. *Quum primū, inquit, accederet, totus immer- sus erat studiis Hebrææ lingvæ. Ego verò monere, non videri operæ pretium, quod tantum temporis & laboris Grammaticæ, & vocabulis addiscendis impenderet, qui rerum scientiam adamaret, & studium illud ad eximiam perfectionem deducturus non esset. Rectius itaqve facturum, si Philosophiæ, Metaphysicæ, Logicæ, quarum planè rudis erat, certis & necessariis ad res rectè cognoscendas, & dijudicandas præsidiis incumberet?* He-

EPISTOLA

bræ lingvæ Studio vix eò perventurum, ut latinis Veteris Testamenti versionibus, quæ satis præclaræ exstarent, meliores aliquando daret. Ad rerum cognitionem adspiranti eas sufficere, satiusque fore, ut ipsis illis rebus considerandis industriam suam impendat: hæcque finicum lectione, & Studio Scripturarum cognitionem Ecclesiasticæ antiquitatis priscorumque Patrum & Conciliorum jungat. Paruit è vestigio, & misis prioribus ad hæc studia animum adjecit: quamquam propter temporis angustiam, & sæpè iteratos excursus vix incoare potuit, nedum aliquò perducere. Satis mihi erat compendia quædam, à quibus initium faceret, indicare, qualia sunt Summa Conciliorum Caranzæ, vel Longi Coriolani, aut potius Codex Canonum universæ Ecclesiæ, quem edidit Justellus, aut etiam Romanæ, sive qualem confecit Dionysius Exiguus, sive qualem superiore seculo ediderunt Moguntini, & hoc nostro Parisienses: Augustini liber de hæresibus unà cum Danaï Commentario, Bellarmini liber de Scriptoribus Ecclesiasticis, ut eorum juxta decursum seculorum seriem & nomina primum cognosce-

DEDICATORIA.

*sceret. Non memini me unquam ei vo-
 lumen aliquod prisca Patris vel Graeci,
 vel Latini evolendum dare: eò enim
 usque, ut ex usu daretur, res deducta non-
 dum erat. Memini autem à me inter-
 rogatum, quibus Studiis adolescentiam
 suam impendisset, respondere, Studio Ju-
 ris; atque adeò ut etiam Justinianearum
 institutiones totas memoria mandave-
 rit. Quod abs se Soræ in Daniâ præsti-
 tum esse, si rectè memini, & non fallor,
 commemorabat. Hæc fuit facies studio-
 rum Rantzovii, quum ad nos veniret, &
 quamdiu apud nos commorabatur. Po-
 stulaverat autem & impetraverat ope-
 ram alicujus in eò eruditionis genere
 egregii, à quo Logicam & Metaphy-
 sicam doceretur, si hiemem, quæ immi-
 nebat, apud nos transegisset. Hactenus
 Calixtina cynosura & narratio. Jam-
 pridem fama publica ruht, robo-
 rata etiam illorum relatione, qui ex
 officinâ istâ prodierant; Studiosis
 Theologiæ hanc ibidem subministra-
 ri Methodum, ut lingvarum origina-
 lium Sacri textus accuratiori cogniti-
 one posthabitâ Studiâ præprimis exco-
 nant*

DEDICATORIA.

fidia in illis veritatis, quàm in antiquis-
 simorum Doctorum Ecclesie monumen-
 tis ad eam undiquaque muniendam, &
 propagandam. Nunc ubi cum his
 laudatũ Consilium D. Calixti compo-
 no, prorsus de illo *παρδείας τρόπον* à
 famã publicã celebrato confirmor.
 Sed liceat, obsecro, arcana ejus pau-
 lò penitiùs inspicere, ac ruminare.
 Principiò autem deprehendimus, *Lectio-
 ni & studiis Scripturarum* neq; primum,
 neq; præcipuum assignari locum:
 imò adminicula ea, quorum beneficio
 Spiritum S. in propriã lingvã loquen-
 tem audimus, & fontes ipsos Scr. S. de-
 gustare possumus, vel semoveri & ex-
 cludi prorsus, vel minus necessaria ju-
 dicari: Versionem Megalandri Lutheri
 omnib; aliis Versionib; ipsis quoq; ad-
 versariis Lutheri nostri testibus, longè
 anteponendam, posthaberi, ac solum
 Latinas ceu satis præclaras, commen-
 dari, è quibus dubio procul palma de-
 ferenda vulgatæ ceu antiquissimæ, ho-
 rum antiquitatis heluonum, uti haberi
 volunt, iudicio. Quo Consilio annon
 obstetricetur Calixtus Pontificiis, Scri-
 pturæ S. Lectionem posthabentibus,

EPISTOLA

fontiumq; Scrutinium minus necessarium censentibus, ac versioni cum primis vulgatæ operam locantibus, eamque sufficientem judicantibus, aliis arbitrandum relinquimus. Id verò salvâ pietate probare non possumus, lætationem ac studium S. Scripturarum, quod primum atque præcipuum esse debebat, aliis postponi, nec nisi cum secundariis Patrum & Conciliorum Studiis conjungi, ne dicam prorsus omitti, ubi Calixtus in eo totus est, ut studia, quæ in Academiâ Juliâ coluntur, Principi suo exponat, ac deprædicet. Tùm enim *coli quidem præter humaniores literas studium Philosophiæ Aristotelicæ, coli studium primæve antiquitatis, coli Studium Concordiæ Ecclesiasticæ, coli studium pietatis & sanctimonie* multis verborum ampullis ebuccinat, præfat: disertat. de myster. Trinitat. in V. T. at de studii S. literarum & fontium veritatis Cœlestis culturâ altum ibi est silentium. Quid verò Theologiæ, hoc est, S. Literarum cultori necessarium magis, quàm Studium S. literarum? quod primum, medium, & ultimum esse oportet in universo studio-

DEDICATORIA.

studiorum Sacrorum curriculo. Praeclarè B. LUTHERUS noster in XV. cap. Genes: *De Principum Epistolis proverbio dicitur, tèt eas legendas. Sed profetò DEI Epistolæ, sic enim Scripturam appellat Gregorius, septies tèt, imò septuagies septies, seu, ut plus dicam, infinities legenda sunt, quia sunt divina Sapientia, quæ non statim primo intuitu potest comprehendì. Si quis obiter, tanquam res notas & faciles legit, seipsum decipit. Unde pronunciavit meritò: Unam in Scripturis sententiam pluris esse faciendam, quàm omnes totius mundi libros.* Sanè si D. Calixtus Consilium B. LUTHERI de Studio Theologico pensi haberet, quod hic exhibemus, aut si quicquam saltem de spiritu Lutherano participaret, *Abbas Regius Lutterinus, Pseudonymus Professor Lutheranus, nunquam tam frigida Consilia præscriberet, nec ita temerè S. Literarum lectionem posthaberet. Videat Calixtus cum complicibus, ne ad eorum se, ac discipulos suos redigant numerum, de quibus Thavmasiander noster queritur. Tom. V. Jenens. fol: 147.* Alle Wort Gottes wollen haben / das
man

EPISTOLA

man darauf mercke / und nachdencke /
 und nicht so überhin laufe / und lasse
 sich düncken / man sie zu grund rein auß
 verstanden / wie die leichtfertigen / Satsa-
 men / überdrüssigen Geister thun / wenn
 sie ein Wort Gottes einmahl gehöret ha-
 ben / so muß es ein Alt ding seyn / und
 gaffen auf etwas neues / als könnten sie
 alles / und alles / was sie gehöret haben.
 Welches gar ein fährliche Plage und bö-
 se heimliche List des Teuffels ist / der damit
 die Leut furchtlos / sicher / fürwitzig und zu
 allerley Irrthum / und Kotteren geschickt /
 und bereit hat / solcher heiloser Leut hat
 der Teufel jetzt sonderlich viel unter den
 Kotten / da kein Sudler nicht ist / so er eine
 Predigt gehöret / (etliche Calixtinische le-
 ctiones) oder ein Deutsch Cap: lesen kan
 (eine Lateinische Version, oder Capitel
 aus den Conciliis) so macht er sich selbst
 zum Doctor / und krönet seinen Esel / be-
 redet sich selbst fein / er künde es nun alles
 besser / denn alle die ihn lehren / Meister
 Klügel heisset man dieselbigen / die das
 Ross am Schwanz können zeumen. Sol-
 ches alles (sage ich) kömpt daher / das man
 Gottes Wort so leichtfertig lieset / und
 höret / und nicht mit Furcht / Demuth /
 und

DEDICATORIA.

und fleiß darauf mercket. *Est S. Scriptura veluti fons quidam, in bono terræ loco scaturiens, ait insignis Theologus Dn. D. Brentius hom. XXXVI. in I. Samuel. XI. quem quò altius foderts, eò magis exuberantem invenis. Ita quò diligentius S. Scripturam perscrutaris, eò abundantiores aquæ vivæ, h. e. doctrinæ pietatis venas reperies.*

Porro quod à Studio Ebrae lingvæ avocent cultores Theologiæ, quod opera precium haud censeant tantum temporis, & laboris Grammaticæ, & Vocabulis addiscendis impendere, qui rerum (Sacrarum) Scientiam adamet, quod minùs necessariam judicent hi Doctores lingvarum notitiam Ebraicæ scilicet, & Græcæ, quis verbi divini æstimator probaturus est? Quomodo enim fontes ipsos degustare poterunt Sacrarum literarum cultores, nisi Ebraicæ ac Græcæ literaturæ periti fuerint. Quomodo ad normam & Canonem verborum divinitùs inspiratorum exigere omnia, si eorum sensum assequi nequiverint, & linguam, quâ eadem exarata sunt, juxtà cùm ignarissimis nôriant.

EPISTOLA

nōrint. Profectò, ipsis etiam fontium
 oforibus Papistis improbari non pos-
 sint *S. Hieronymi* Maximæ, Juri Cano-
 nicæ insertæ: *C. ut veterum dist. 9. Ut
 veterum librorum fides de Ebræis volu-
 minibus examinanda est, ita novorum
 Græci sermonis formam desiderat; & C.
 Jejunium dist. 96. Cogimur ad Ebræos
 recurrere, & scientiæ veritatem de fonte
 magis quàm de rivulis querere. Quo-
 modo verò ad Ebræos recurret lingvæ
 istius ignarus! Quomodo scientiæ pe-
 netrabit veritatem, qui rivulos tantùm
 sectari cogitur, fontes gustare non po-
 test. Nec ullius hili est ratiuncula,
 illa, quod qui rerum scientiam adamat,
 multum temporis & laboris impendere
 Grammaticæ & vocabulis haud debeat.
 Quicquid enim Sacræ impēditur Gram-
 maticæ, id omne conducit ad rerū sci-
 entiam in hoc Studiorum Sacrorum ge-
 nere; quùm Theologia nostra magnam
 partem Grammatica sit, & undenam
 rectius, quàm è verborum Scripturæ S.
 observatione haurietur rerum divina-
 rum peritia? *Ecclesia*, quod incompa-
 rabilis Brunsvicensium Theologus B.
 Chemnitius graviter monuit, part. II.*

Locor.

DEDICATORIA.

Locor. Theol. p. m. 549. tantum debet esse
 Grammatica, h. e. non debet fingere res
 novas, aut dogmata nova gignere (arri-
 gant aures Calixtini) sed ea, quæ à Spiritu
 S. tradita sunt, discere ex genuina signifi-
 catione vocabulorum, quibus in tradendâ
 doctrinâ cœlesti Scriptura utitur. Et pag.
 622. Sicut res ipsæ in Scriptura patefactæ
 sunt voce divina, in verbo, ita eadem re-
 ctè intelligi non possunt, nisi ex verâ &
 genuinâ significatione verborum, quibus
 Spiritus Sanctus usus est in tradendâ do-
 ctrina cœlesti. Nec agitur hic de bello
 (ut vocant) Grammaticali, sed in præs-
 ipe Locis doctrinæ; quantum erratum in
 verbis, tantum etiam de rebus ipsis amit-
 titur. Exemplo id declarat luculento,
 quod adjicere operæ pretium erit. Et
 præcipuè in hoc loco (de Justificatione)
 illustre est exemplum. Amissâ enim verâ
 Grammaticâ statim extincta est lux pu-
 rioris doctrinæ; & cum nostro tempore
 restitueretur vera Grammatica enarratio
 vocabulorum, in hoc loco rursus restituta
 est puritas doctrinæ. Nec possumus custo-
 des esse Doctrinæ hujus Loci divinitus
 repurgatæ, nisi Grammaticam discamus,
 & amemus. In perpetuâ historiâ Eccle-
 siasti-

EPISTOLA

*siasticâ observandum est, quantum damni Ecclesiæ dederit contemptus & ignorantio veræ Grammatices in hoc articulo. Hæc & alia passim inculcat Theologus celebratissimus, cujus judicio, dubio procul, longè plus tribuent Theologiæ cultores, quàm Juliani Aristarchi, simulque observabunt causam obscuratâ à Novatoribus lucis purioris doctrinæ, contemptum Grammaticæ veræ & linguarum originalium. Quanti studium S. Lingvæ non solùm, in interpretatione Scripturæ, sed etiam in controversiis tractandis fecerit B. Lutherus, gravissima ejus *adhortatio ad linguas discendas & imprimis Ebræâ, quæ extat in enarratione Ps. XLV.* testari potest. *Sapè monui, inquit, ut Ebræam linguam disceretis; nec eam ita negligere- tis.* (Monitio Calixti prorsus contraria est Lutheri adhortationi.) *Scio quantum mihi contra hostes meos profuerit. Quare hâc quantulâcunqve cognitione infinitis millibus aureorum care- re nolim. Et vos quoque dabit operam, qui aliquando docebitis Religionem, ut hanc linguam discatis, si non PECORA CAMPI, & INDOCTUM vulgus haberi vultis,**

DEDICATORIA.

vultis, quod editis Germanicis libellis ad-
 jutum utcunq; Evangelia Dominicalia,
 & Catechismum docet. Sed opus est
 etiam Ducibus quibusdam doctrinae, &
 oportet habere pugnatōres, qui stant in
 acie contra aliarum nationum & lingua-
 rum homines, qui sint Doctores, Judices
 & Magistri in hac lingua. Hæc B. Lu-
 therus, cujus judicio subscribunt om-
 nes piè eruditi.

Frivola verò, & perquam inepta est
 illa *ωρόφασις* de *Versioibus Latinis*
Vet. Testam. satis præclaris, quibus melio-
 res non facile quis daturus sit. Nec enim
 eâ sine tantum Ebræo vacandum Stu-
 dio, ut Latinis aut aliis Versioibus
 meliores aliquando dentur. Annon
 utile, ac necessarium est, ut quænam
 inter Versiones, quæ extant in locis
 controversis magis ad fontes veritatis
 accedat, dijudicetur: quod quomodo
 fieri potest absque lingvarum origina-
 lium agnitione? Fatetur id *Augu-*
stinus ipse, utut earum minus gnarus,
 qui candor multò majorem laudem
 meretur, quàm contemptus ille *Calixti-*
nus: *Latina quidem lingua homines,*
 (verba sunt B. Augustini *l. 2. de doctrin.*

EPISTOLA

Christian. C. XI. quos instruendos suscepimus, duabus aliis, ad Scripturarum divinarum cognitionem, habent opus, Hebræâ scil. & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas. Vix arbitror discipulos Calixtinos eò perventuros, ut versionibus Nov. Testam. Latinis, quæ satis præclaræ extant, vel ut nunquam satis laudatâ versione Germanicâ B. Lutheri (quam pro suâ reverentiâ & animi ingratitude ergâ Sancti hujus operis autorem ne nominare quidem dignatus est, præclarus ille Lutheranus lectionem svadens Latinarum, versionum, non autem Germanicæ B. Lutheri;) meliores aliquando daturi sint. Num verò ideò à Græcæ lingvæ Studio avocandi, neque notitia ejus usque adeò necessaria censenda! Præbeat modò hîc Luthero nostro aures, si tanti eum facit Dictator Julianus, aut patiatur saltem, ut alii virum θεολόγον audiant: in gravissimâ *Parænesi ad Senatores omnium civitatum in Germaniâ* Tom. II. Jenens. Germ: f. 474. So lieb nun als Uns das Evangelium/

DEDICATORIA.

so hart laßt uns über der Sprachen halten. Denn GOTT hat seine Schrift nicht umbsonst allein in die zwo Sprachen schreiben lassen / das Alte Testament in die Ebreische / das Neue in die Griechische. Welche nu GOTT nicht veracht / sondern zu seinem Wort erwehlet hat für allen andern / sollen auch wir dieselben für allen andern ehren. Und laßt uns das gesagt sein / daß wir das Evangelium nicht wol werden erhalten ohn die Sprachen. Die Sprachen sind die Scheiden / darinne diß Messer des Geistes steckt : Sie sind der Schrein / darinnen man diß Kleinod trägt. Sie sind das Gefäß / darinnen man diesen Trancß fasset. Sie sind die Kemnot / darinnen diese Speiß lieget / und wie das Evangelium selbst zeuget / Sie sind die Körbe / darin man diese Brot / und Fische / und Brocken behelt.

Hæc quàm sint Calixtino à Hornejani cõsiliis diversa, cœcus sit, qui nõ videat. Adjicerem Professoris Witebergensis optimè meriti Dn. D. Wolfg. Franzii *ἐπιπέτυον*, nisi Calixto penè omnia illa nauseam parere, quæ hanc officinam redolent, constaret. Juvat tamen

EPISTOLA

men in Calixtinorum gratiam eam adducere, ut *ὡς ἐν Ἰστορίῃ* causas habeant, cūr à iudicio Præceptoris hīc in omnia alia abeundum sit; ut ut (inquit Dn. D. Franzius tract. eximio de Interpretat. Script. p. 37.) extent aureæ & optimæ versiones Bibliorum, tamen fontes necessarii sunt 1. ut certior reddatur **UNUS QUILIBET**, Literatus præsertim, fontes ita & non aliter habere. 2. Ut de exortis controversiis firmâ conscientiam aliquis sententiam suam pronunciare possit, quod nunquam fiet, nisi fontibus inspectis. 3. Quia nulla unquam erit versio omnibus, cunctis, & singulis suis numeris absoluta beatæque. Unde aliqua in quibusq; Versionibus sæpenumero, si non emendanda, tamen illustranda veniunt, quod non nisi per fontes fieri licebit. 4. Quia ad dogmatum explicationem solidam necesse est cognosci phrasæ fontium. Rectè enim iterum in oratione antea primò loco indigitata (Philippi Melanchthonis) refertur: Transformabit (ignarus phraseon) dogmata, ut ceram in diversas sententias, & perniciosis tumultibus opinionum ipse sese everset. Sed operæ pretium erit ipsummet

Philip.

DEDICATORIA.

Philippum audire, quem etsi Witebergensem ad Syncretismum cum Calvinianis & Papistis aliquantò pronior, facilius monentem feret ὁ Φιλιππίων Calixtus. Gaudeo, inquit Philippus in Orat. quadam de Studiis Ebraeae linguae, *versiones extare, & DEI beneficio omnium maximè luculenta & nitida est Germanica, summâ diligentia & fide exploratis eruditorum iudiciis à D. Luthero elaborata.* Sed addit paulò post: *Quaevam extant versiones, cogitent tamen id quod res est, ad earum emendationem, & illustrationem fontes saepè consulendos esse.* Et in aliâ ejusdem argumenti: *Germanicè Propheta nunc à Luthero multò felicius rediti sunt. Has interpretationes & ipse lego, & ut assiduè legat populus, opto. Interea tamen in Scholis fontes noti sint. Necesse est igitur eruditiores, & quos Ecclesia vult custodes esse, ac interpretes Sacrorum codicum nosse linguam Ebraeam, ut certum sit, interpretationes congruere cum fontibus. Deinde nulla tam felix interpretatio erit unquam, ut non aliqua occurrant σφάλματα. & in locis rectè conversis tamen multum lucis ad-*

EPISTOLA

fert collatio. Hæc Philippus. Quæ cum ita sese habeant, multò prudentius consuluit *Sixtinus Amama* Belgis multoqve consultius fecere Ordines Batavi, Frisiiq; , ejusdem excitati Parænesi, quod in Synodo Harlingæ Anno clo Id. XXIV celebratâ sessione, V. decreverint, ad S. Ministerium deinceps neminem esse admittendum, nisi exhibeat testimonia Professorum Hebrææ & Græcæ lingvæ, quibus doceat, se in lingvis istis eos saltim fecisse progressus, ut originalem Veteris, Noviç, Test. textum mediocriter possit intelligere. Ulterius dum Philosophiæ, & imprimis Metaphysicæ, & Logicæ culturam lingvarû studiis præferre non verentur Juliani Novatores, in percipiendâ S. Theologiâ illisqve certior ac magis necessaria ad res sacras rectè cognoscendas & dijudicandas præsidia vindicare haud dubitant, in eo suffragium ipsis addere non possum. Equidem magnifacio, uti par est, Philosophiæ studia ac speciatim quoqve Metaphysicæ, & Logicæ, quibus etiam me non parùm adjutû esse in S. Studio, grato animo profiteor. Non ergò hæc eò abripi velim, quasi alienus sim ab
 istis

DEDICATORIA.

istis Studiorum generibus; quibus propagandis ac propugnandis, vindicandisque; adversus abusum hæreticum plus fortassis operæ (divinâ secundante gratiâ) ætate juvenili, cùm nondum viginti duorum essem annorum, me impendisse quàm dictatorem istum usque ad sexagesimum sextum ætatis suæ, Metaphysica divina tertiùm recusa, & parte speciali jam locupletata, cum tractatu de Methodo docendi & disputandi, Encyclopædiâ Mathematicarum disciplinarum, aliisque Scriptis Philosophicis, quæ uno volumine jam prodeunt, testari poterunt. Ad quæ tamen hîc minimè, gloriolæ alicujus aucupandæ gratiâ, provocare cupio; vanam solum gloriationem adversariorum sibi *Studium antiquæ, germanæ, solidæque Aristotelicæ Philosophiæ*, præ aliis vindicantium, contemptum insuper *Calixti, Drejeri*, & similium, imò calumniam eorundem, quâ ob istud Studium ab iis, quibus id commune esse oporteret, acerbissimè se traduci, criminantur, ex occasione retundere debui. Quocirca iterum, iterumque profiteor, deprædicari nunquam satis posse, quantum isthæc

EPISTOLA

Studia utilitatis, atqve fructus adferant ad S. Theologiam: Ideoq; tantum abest, ut traducendos eos existimem, aut reprehendendos, qui cultores S. Theologiae ad eadem debito modo deducunt, ut magnam potius sedulitate id ipse agam in hac Ilagoge Theologica. Caterum si Ebraeae & Graecae Linguae culturam cum istis studiis contendamus, nequaquam Novatoribus assurgere possum, ut illam hisce postponendam censeam, nedum ut ea, quae ab his expectantur praesidia, cum illis, quae e lingvarum Originalium notitia haberi possint, collata vel certiora vel magis necessaria, credam. Quid enim linguae aliud sunt, quam clavis aurea, qua recludantur intima Scripturae penetralia & thesauri in verborum divinorum occultis, omnibusque lingvarum imperitis plane inuis thalamis reconditi? Quomodo ex praescripto CHRISTI *Job. V. 39.* possumus ἐπεινᾶν τὰς γράφας, & e divite, admodumq; praegnantre venae Sacrorum verborum Spiritus Sancti aurum pretiosissimum sensus divini eruere, si lingvarum simus ignari, quibus ille nobis loquitur? unde

DEDICATORIA.

de præsidia petenda sunt, ubi sensus in
dubium vocatur verbi divini, nisi po-
tissimum ex ipsis Spiritus Sancti ver-
bis. Quæ Logica, ὀργάνον illud ὀργά-
νον, suggerit adminicula, non conte-
mno, sed quum ea magnam partem,
si quis ingenio mediocri sit, haberi pos-
sint à naturali Logicâ, quæ quidem re-
quirantur ad eruendum Scripturæ sen-
sum, quis, quæso, artificialis, prout vo-
catur, Logicæ præsidia magis necessa-
ria judicabit iis, quæ à lingvis Sacris
proficiscuntur! Metaphysicam verò,
si certiora, magisque necessaria adhuc
subministrare quis arbitretur, huic me-
rito adimat jus prætor, & ad sanos re-
deat tutela propinquos. Incidit com-
modum exemplum Studiosi cujusdam
Theologiæ in Academiâ Rostochiensis,
qui quotidiè horis matutinis, prius-
quam ad S. Biblia legenda se accinge-
ret, è Metaphysicis caput unum evol-
vebat, hujusque Methodi rogatus, hanc
reddebat rationem, sibi videri, judi-
cium apprimè acui è lectione Meta-
physicæ ad eò exquisitiùs penetrandum
Scripturæ S. sensum, qui tùm quidem
ridebatur ab omnibus. Non arbitror

EPISTOLA

eum in istâ Scholâ informatum, sed profectò admodùm affinis erat ea ratio Methodo Calixtinâ. Qvendam Johannem Dullardum refert Ludovicus Vives, l. 2. de causis corrupt. art. pag. 73. dicere consuevisse: *Quantò eris melior Grammaticus, tantò pejor Dialecticus & Theologus.* Quam hominis inepti vocem redarguit Vives, nec immeritò: Quantò magis reprehendenda ea sententia, quâ Grammaticæ Ebrææ operæ pretium derogatur, ac Dialecticæ ac Metaphysicæ studium præfertur in cognoscendâ Theologiâ! Longè sanius, profectò, est iudicium *Erasmi Roterdami*, quem ceu antesignanum Syneretistarum fortè libentiùs auditurus est Julianus. *Multi rectè iudicant, inquit ille Chelid. I. Cent. IX. Adag. 55. absque Dialecticæ præceptis, ut ne dicam Sophisticis cavillis. Sapiebant mortales & priusquam DEUS istorum Aristoteles nasceretur. Nullus unquam sententiam alicujus intellexit, ignarus sermonis, quo sententiam ille suam explicuit. Proinde D. Hieronymus, cum constituisset arcanas interpretari literas, ne illotis, ut ajunt, pedibus rem tantam aggrediretur, quæ so-*

DEDICATORIA.

*Num Sophisticis nugis instruxit ingenium?
 Num Aristotelicis decretis! Num his et-
 jam nugacioribus nugis! Minimè. Quid
 agitur? inestimabili sudore trium lingua-
 rum (Latinam, Græcam, Hebraicam, in-
 digitat) peritiam sibi comparavit; quas
 qui ignorat, non Theologus est, sed Sacræ
 Theologiæ violator, ac verè manibus pa-
 ritæ ac pedibus illotis rem omnium ma-
 ximè sacram non tractat, sed profanat,
 conspurcat, violat. Habent tamen,
 quod prætexant Novatores: nimirum
 Patres Græcos & Latinos admirabilem
 Theologiæ peritiam, è solis Versionibus
 haurire potuisse; inter quos (si Hornejo
 credendum) omnes, tantum Origine, &
 Hieronymo exceptis, vix quisquam Ebrai-
 cæ literaturæ paulò peritior fuit, S. autem
 Augustinus (At quantum Theologus!) non
 tantum Ebraicè indoctus erat, sed nec
 Græcam quidem linguam ita callebat, ut
 absque interprete intelligeret. At si hinc
 conficiatur, non usque adeò necessa-
 riam esse Ebraicæ, Græcæq; linguæ pe-
 ritiam, annon de Logicæ ac Philoso-
 phiæ studio idem inferendum erit, aut
 si hæc omninò magis necessaria cense-
 antur, Scholasticis præ antiquis Eccle-
 siæ*

EPISTOLA

fiæ Doctõribus, & S. Patribus in S. Theologiaâ *ἡ ἀποστολική* assignanda? Sic enim paulò post idem Hornejus; *Sed nec in Dialecticæ & Philosophiæ studiis antiqui illi operam omnes æqualem posuerunt, imò nullam aliam ferè Philosophiam, quàm Platoniam didicerunt. Nam Aristotelica ut accuratissima est, ita serius à Christianis excoli cepit, & primum quidem à Scholasticis Doctõribus paganorum & Muhammedanorum, superstitioni extorta, & in usus Ecclesiæ vindicata fuit. Nec verò profusè litat, quod dicitur, illos duos tantùm ex universis Doctõribus præcis Ebraicæ literaturæ peritos fuisse; quùm ab eisdem notitiâ præter Origenem & Hieronymum etiam S. Ignatius, Epiphanius, Basilus M. qui præceptore usus est, Ebræo - Syro cum jam Antistes esset, Theodoretus & alii celebrentur; in Græcâ verò lingvâ quantum olim defecerit Augustinus, quàm tamen Episcopus jam factus ipse penitus addiscere non fastidivit, tantum excelluerint alia cum primis Orientalis Ecclesiæ lumina. Porro quantum ignorantia lingvæ originariæ in eruendo Scri-*

ptu-

DEDICATORIA.

pturæ S. sensu genuino Patribus da-
 mni tulerit, eorumque autoritati de-
 roget, cum in Scripturâ Sacrâ expli-
 candâ occupantur, si fortè ignora-
 rit Hornejus, qui, ut apparet, non
 multum in Studio Exegetico locavit
 operæ, aliis tamen minimè obscurum
 est Studio huic S S. Theologiæ prima-
 rio deditis. Sed tamen ignotum es-
 se non potuit, nec disimulari debuit,
 quantoperè sese macerârunt Patres in
 vindicandis textibus Biblicis Veteris
 Testam: ob lingvæ authenticæ impe-
 ritiam, quàm obtusis telis, & alienis
 sæpè pugnârunt testimoniis, quàm fal-
 sum plurimis Scripturæ Oraculis sen-
 sum attribuerint. Verùm enimverò ho-
 mines isti nimio Patrum amore fasci-
 nati hæc non curant, quod quid aliud
 est quàm relictis veris Israëlitis fonti-
 bus hîc illic fontes excisos sibi para-
 re, plenos foraminibus, ac aquam nul-
 lam præbentes, ubi scilicet à fontium
 deflectunt scaturigine. Occurrit huic
 calvæ exceptioni jampridè magno Spi-
 ritu *B. Lutherus noster* Tom. 2. Jen. f. 474.
 Ja sprichtst du / es sind viel Väter selig
 worden

DEDICATORIA.

feilen/und machen ihm eine Nase nach
 ihrer andacht/wie der Vers. droben an-
 gezeigt: Tecum principium. &c.

Quid verò de Calixti dicemus ar-
 gumento, *quod ad rerum cognitionem
 adspiranti versiones Latinae sufficiant?*
 Num sufficere arbitramur versiones
 Latinas, adeò ut opus non sit Ebraei
 vel Graeci codicis indagazione, ad in-
 dagandum verum DEI loquentis in
 Scriptura S. sensum? hujus enim no-
 titia sine dubiò est illa rerum sacrarum
 cognitio, ad quam adspirare debet S.
 Theologiae cultor! sed obversata for-
 tassit Calixti animo, cum hæc scriberet
 & præscriberet, sua hypothesis de Sym-
 bolo Apostolico, cujus *notitiam* suffi-
 cere toties inculcat, quantum *ad Laicos,
 ac simplices*, ita ut, *quod ad Doctores &
 doctiores*, itidem sufficiat *ad pressius ex-
 plicanda omnia creditu necessaria, eaq;
 adversus haereses oppositas, sive valide
 prosternendas sive accurate evitandas.*
 Calixti judicio, responso primo contra
 Mogunt. th. 92. explicatio ejusdem in
 Symbolis quibusdam Synodicis tradi-
 ta, quæ nusquam non inculcat, paucis
 char-

EPISTOLA

chartis comprehensa, duabus vicibus, (sed sine textu Græco, quod Helmstadii brumalium dierum brevitās & obscuritas non sit idonea colligendis & conjungendis Græcis typis, quam causam addidit etiam Calixtus alteri editioni, mense Augusto enatæ, ut lector ambigere possit, utrum fortè Helmstadii vel saltim in typographeo Calixtino, superiori anno, per miraculum, bruma auctumnum anteverterit) eo fine exhibere voluit. Ita verò compendio uti poterit Calixtus in sua informatione, nec nisi ad pagellas saltim istas remittere opus habebit cultores Theologiæ, unde *non modò, quæ ad ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιανόντων λόγων faciunt, quam Doctores teneant, petere queant, sed etiam quæ adversus omnis generis hæreses tum accuratè evitandas, tum validè prosternendas necessaria sint.* Sed pergamus in Methodo Calixtinâ. A *Metaphysicâ* deducit cultores Theologiæ, (relictis lingvarum studiis, nec ullo verbulo commemoratis *scriptis Didacticis* sive *publicis ac Symbolicis Ecclesiarum nostrarum,*

DEDICATORIA.

strarum, quæ tanti non facere videntur ut legantur, dum ea prorsus præterit; sive *privatorum Doctorem Locis Communibus, aut Institution. Theologicis*,) ad *cognitionem Ecclesiasticæ Antiquitatis* *priscorum Patrum & Conciliorum* *conjungendam cum lectione & studio scripturarum*: quod quale futurum sit, ubi neque lingua Spiritus Sancti cognita, neque analogia fidei & Didacticis scriptis percepta est, cuilibet rerum sacrarum perito arbitrandum relinquimus. Qui ex Orthodoxis Theologis hæcenus Methodum tractandi S. Theologiam præscribere, addo etiam qui è Calixti Fratribus in Christo, *Calvinianis*, nulli profectò ad Patrum lectiones admittunt, nisi eos demum, quos positus è Scripturâ S. & libellis Didacticis, Institutionum ac Locorum communium fundamentis, imò prælibatis jam controversiis Theologicis in vastis Conciliorum, & Patrum Tomis cum fructu, & absque periculo versari posse judicarint. At Novatoribus nostris sordere videntur eum libris Symboli-

EPISTOLA

cis locorum communium scripta Theologorum Orthodoxorum Chemnitiana, Hutteriana, Gerbardina, alia quæ pleraque etiam alto supercilio contemnerè solent, quibus Calixtus nolum in suo *ἡ ἀδελφείας πρόπῳ* locum relinquit, etiam cum eos informat, qui nunquam studiis Theologicis operam dederunt, & *Philosophiæ, Metaphysicæ, Logicæ* adhuc planè rudes sunt, ut exemplo esse potest hoc consilium Calixtinum ab ipso autore sic expositum. Cogitemus autem, quenam *Philosophiæ & Logicæ* planè rudi, linguarum imperito, qui studio saltem juris adolescentiam suam impenderat, Methodus præscripta fuerit in S. Theologiâ cognoscendâ! *Satis mihi erat*, inquit Præceptor, *compendia quædam, à quibus initium faceret indicare?* Qualia obsecro? Num compendia fortè Biblica, aut Summaria, uti vocantur, S. Bibliorum! Num compendia locorum Theologicorum? Apage cum illis: ingenio nobili nobilior est ostendenda via. Qualia ergò tandem illa compendia? *Qualia sunt summa*

Con-

DEDICATORIA.

Conciliorum Caranza vel Longi Corio-
 lani, aut potius codex canonum uniuersa
 Ecclesie, quem edidit Justellus, aut
 etiam Romana, siue Igvalem, consinxit
 Dionysius Exiguus, siue Igvalem supe-
 riori seculo ediderunt Moguntini & hoc
 nostro Parisienses. Mirum quod non
 Bullarium adjecerit Cherubini, quod
 certe Conciliis Romanæ Ecclesie po-
 steriorum seculorum non inferius cen-
 seri debuit. Fidem tuam obsecro, Ca-
 lixte, quâ conscientiam hominem ru-
 dem, & imperitum, cujus ingenium
 Mercuriale, ac volatile non incogni-
 tum esse poterat, præteritis aut præ-
 termisissis iis, quæ ad informationem
 in fide ynnocuos Lutheranâ faciant,
 siue in tot Conciliorum Canones, &
 decreta sine discrimine, aut præviâ
 debitâ præparatione, genuina sint, an
 supposititia, incorrupta, an corrupta, or-
 thodoxa an heterodoxa, Catholica an
 Papiistica, quo delectu, quo iudicio,
 quâ prudentiam legenda sint, immise-
 ris, ac Summas editionesque Papi-
 sticas, posthabitis orthodoxorum de
 Conciliis, Scriptis, ac monitionibus

EPISTOLA

summopere necessariis, eidem commendaris? Macte hâc informatione *Calixte*, sic par est gigantis cothurnum nano aptare, aut Achillis hastâ vel Herculis clavâ puerum armare, ! Sic debet illotis manibus pedibusque ad Conciliorum decreta quævis rudes & imperitos admittere ! Sic ex usu est Ecclesiæ, præteritis scriptis Symbolicis nostris & didacticis, varios, eosque adulterinos etiam, contradictorios, Papisticos Canones incautæ juventuti commendare ! Quid ergò miraris, quod discipulus hanc tibi statutam exrexit gratitudinis : *Tu Hermæ vialis instar in bivio defixus digito intento viam, quâ ad Ecclesiam Catholicam (Pontificiam) pergerem, mihi subindicasti !* Decreta illa Synodica, sine discerniculo proposita, Canonesque Romanæ Ecclesiæ, ac Conciliorum quoque Papisticorum seqviorum temporum, cum ut Ecclesiæ Canones & decreta suscepta indiscriminatim, ab homine in Theologiâ haud informato, quorsum eum deducere potuerit, præterquam in Romanam Ecclesiam

DEDICATORIA.

fiam. Quod ut adhuc luculentius evadat, quæ ad Pædiam hanc perficiendam accesserint in Calixtinâ deductione ad Rom. Ecclesiam, è literis Ranzovianis Kal. Sept. Ann. 1650. Româ ad Calixtû exaratis, prouti Moguntia prodire, hæc addenda. Ad hunc salutis portum te invitare non desinam, ad quem sedulò pervestigandum tuâ imprimis operâ me excitatû profiteor. Nam Romanam Ecclesiam unam illam sanctam, Catholicam & Apostolicam esse non tam facile mihi licuisset perspicere, nisi antea TUO DUCTU certò CREDIDISSEM, eam non Anti-Christi sedem, & Babylonica meretricis lupanar, sed verè Ecclesiam & nunc esse, & salutis spem piè in eâ viventibus neutiqvam denegandam eò quod præcipua fidei Capita, quibus fundamenti instar salus nostra innititur salva, & immota retinent: de reliquis, sin absq; studio partium esset, unionem aliquam, vel saltim syncretismum iniri posse existimabas. Adhæc multa temerario illò reformationis tumultu abrogata dolebas, quæ cum magno pietatis emolumento potuissent retineri; multa quoq; Ecclesiæ Catholice falsa, & absurda fatebaris, assingi, quæ

aut planè ignoret, aut ipsa improbet. Ita tu
 Hermæ vialis instar &c. Hæc Ranzonius,
 quæ minimè negavit, sed silentio suo
 comprobavit in responso Calixtus! Sed
 forsan alios addidit autores Calixtus, è
 quibus alexipharmacum quoddam haberi
 potuerit aduersus venenū Papisticū!
 Nihil tale deprehenditur in hâc *χερ-
 ευρωγία*! Nec præter compendia di-
 cta, Canonesqve Conciliorum se quic-
 quam suggessisse testatur, quàm *Au-
 gustini librum de hæresibus unâ cum
 Danaei (Calvinistæ) Commentario: &
 Bellarminum de scriptoribus Ecclesiasti-
 cis*, qui non minus supposititia, nota &
 adulterina, quàm vera commendat
 scripta, nec solum Patres Orthodoxos
 sed & Pontificis Romani mancipia Ec-
 clesiasticis Scriptoribus accenset, ac
 passim dogmata Papistica etiam quasi
 aliud agens, interserit, & propugnat.
 Atque ita excusatum sese satis putat
 Calixtus, quod Ranzovio viam non
 subindicarit, quâ ad Ecclesiam Papi-
 sticam pergeret. Sed iudicent cor-
 dati, num si prece vel precio condu-
 ctus fuisset à Jesuitis Julianus ille, sub-
 indicare dolosius viam potuisset? Ad-
 dit

DEDICATORIA.

dit verò uberioris apologias gratiâ;
 non memini me unquam ei volumen
 aliquod prisce Patris, vel Græci vel La-
 tini evolvendum dare; eò enim usq; ut
 ex usu daretur, res deducta nondum e-
 rat. Ex usu tamen dari poterant Ca-
 nones Ecclesiæ Romanæ; & Bellarmini
 liber de Scriptoribus Ecclesiasticis: &
 hisce primùm animus occupandus e-
 rat, priusquam ex usu esset, evolvere
 Patrum scripta! Scholasticorum hic
 nullam quidem mentionem injicit,
 sed eos nomine Scriptorum Ecclesiasti-
 corum dubio procul cum Bellarmino,
 ad cujus manuductionem remisit,
 comprehendit, nec seqvius de iis sen-
 tit, quàm Collega Hornejus, qui
 non pauciora penes Scholasticos, quàm
 primitivæ Ecclesiæ Doctores pollice-
 tur præsidia. Et si hoc pacto summe
 Conciliorum, Canones Ecclesiæ, decreta
 Synodalia, Patrum & Scholasticorum
 monumenta jungantur cum lectione
 & studio Scripturarum, Latine Versio-
 nis, utut Ebræa, vel etiam Græca negli-
 gantur studia, tum indubiè habebitur
 Scripturæ genuinus sensus, tum certa re-

EPISTOLARUM

rum sacrarum peritia obtinebitur: Hæc enim Consilii Calixtini Summa est. Scilicet profusus ad mentem, & methodum B. LUTHERI nostri! Quo de testatur D. Wigandus præfat. in libr. de Schwenckfeld: Solo DEI verbo, non Patribus, non Conciliis, non decretis hominum Lutherus tantam Papistici status mutationem obtinuit. Loquatur ipse Megalander, Tom. I. Epistolar. fol. 60. Ego simpliciter credo, quod impossibile sit Ecclesiam reformari, nisi funditus Canones (Romane Ecclesie) decretales Scholastica Theologia, Philosophia & Logica ut nunc habentur, eradicentur, & ad alia studia instituantur. Et Tom. II. Jenens. fol. 476. Darumb ist das auch ein toll fürnehmen gewesen / daß man die Schrift hat lernen wollen durch der Väter außlegen / und viel Bücher und Glossen lesen. Man solt sich dafür auf die Sprachen geben haben: denn die lieben Väter / weil sie ohn Sprachen gewesen sind / haben sie zuweilen mit vielen worten an einem Spruch gearbeitet / und dennoch nur kaum hin- nach geschmet / und halb gerachten / halb ge-

DEDICATORIA.

geseilet. So leuffstu demselben nach
mit viel Mühe/und könntest dieweil durch
die Sprachen denselben viel baß solchen
rathen / denn der / dem du folgest.
Denn wie die Sonne gegen dem Schat-
ten ist / So ist die Sprache gegen al-
ler Väter Glossen. Weil denn nun den
Christen gebürt die heilige Schrift zu
üben / als ihr Eigen einliges Buch/
und eine Sünde/und schande ist/das wir
unser eigen Buch nicht wissen / noch
unser Buchs Sprach und Wort nicht
kennen / So ist's noch vielmehr Sün-
de und Schande / das wir nicht Spra-
chen lernen. Hæc Calixto & compli-
cibus Drejero, Latermanno, aliisque
à lingvarum studiis avocantibus, eaqve
negligentibus dicta sunt: quibus S.
*Hieronymus id suaderet, quod Caliphur-
nio Lanario Epist. ad Magni Dentibus
vescentium edentuli ne invideant, &
oculos caprearum talpæ contemnant.*
Essent multò plura de Methodo Ca-
lixtinâ monenda, sed vereor, ne jam
limites Epistolæ egressus sim, & ur-
get Bibliopola ob imminentes nundi-
nas, ut tela abrumpatur.

EPISTOLA

Ad Te, Vir Illustris & Magne
 mea se jam convertit oratio: Quae
 fortè justò diutius sanctiores mu-
 nerum summorum curas occupavit?
 Sed quum Illustrissimum Principem
 ineptis relationibus, & consilio per-
 verso remorari Calixto haud fuerit
 religio, Illustrem Tuam Magnif.
 necessariam consilii discussionem eo
 sereniori vultu admissuram spero
 quo ferventiori zelo, cum immor-
 tali summi Nominis gloriâ, hiberas
 nenas Calixti (sic vocat talia S.
 Hieronymus) detestatur, & purita-
 tem doctrinae caelestis adversus Syn-
 cretistica Novatorum Studia, &
 confusionem Babelicam unice trium-
 phare, ac florere exoptat. Quam
 sollicitudinem tanto honorum fasti-
 gio dignissimam propriam Tibi ac
 perpetuam esse, ceu Summo DIRE-
 CTORI rei Ecclesiasticae in terris
 Electoralibus Potentissimi, Ejus-
 demque Pientissimi Septem-Viri
 JOHANNIS GEORGII FI-
 DEI

DEDICATORIA.

DEI DEFENSORIS RELI-
 GIOSISSIMI (*vivat is, nata-*
lemque nuper celebratum, qui sexa-
gesimus octavus erat, sapius Te-
cum celebret Magno Rei-publicæ,
Et Ecclesia univèrse Bono: ita ni-
vea Maximi Principis, Magniq;
Ejus Consilarii capita Gloria coro-
net omnigena felicitatis.) publica
loquuntur, Et depredicant docu-
menta, nec grata silebit posteritas.
Virtutes ceteras verè heroicis ada-
mantino quasi nexu cum pietate
omnium virtutum Principe in te
devinctas si celebrare vellem, nec
paupertina mea sufficeret oratio, nec
Generosus pateretur animus Tuus.
Quæ veluti cum Summâ Eruditio-
ne, ac facundiâ excellenti decer-
tant, ita cuicunq; cedat parti vi-
ctoria, spectaculum præbent jucun-
disimum, omniumq; animos in
amorem Et admirationem abripi-
unt. Quod in illustrissimis lega-
tionibus quamplurimis, publicisque
 S.R.I.

EPISTOLA

S: R. I. Comitibus augustissimis, summis etiam capitibus delectationi fuit: in quibus semel quoque Serenissimi Tui personam egregie sustinens, Serenissimis circumfusis Imperii Electoribus, exemplo & magnum incomparabili, Nobilitatis decus locupletasti. Amor verò literarum & in literatos favor, genere, splendore, ac munere Tuo, haud inferior, unà cum ardore verae religionis incredibili omnibus, quotquot Ecclesiis, Scholisque praesunt in terris Saxonis, gratitudinem imperat, omniumque vota, ac preces impetrat, quae tanto senio tam vegetas adhuc, caeli gratia annuente, vires conciliant. Istorum numero singulari oeconomia semper admiranda divinae providentiae est Patria Borussia, cui in decimum quartum usque annum in Cathedra Theologica partim Academica, partim Ecclesiastica inservieram, evocatus, quum DEI O. M. ac Electoris Serenissimi
 auspi-

DEDICATORIA.

auspiciis, Tuis potissimum, aliorum-
 que de Ecclesia ac Rep. præclarissime
 meritorum quæ Politicorum, quæ
 Theologorum ex intimiori pariter &
 sanctiori Senatu Electorali, delibera-
 tissimis Consiliis primùm in Acade-
 mia, tum in Consistorio, deniq; etiam
 in Ælogia generali Electoralis, cir-
 culi adscriptus, multiq; sub ipsa sta-
 tim primordia ante sesquiannum, &
 deinceps, benevolentie ac favoris sin-
 gularis stricturis atque radius insi-
 gnibus, hisce in oris, veluti anima-
 tus sim, ad paria pietatis ac gra-
 titudinis officia me imprimis obli-
 gatum profiteor. Quibus non quæ
 debeam, sed quæ possim exolvendis
 uti operam nunquam non daturus
 sum, ita, testis vadisq; instar pu-
 blicæ, hunc geminum sisto Theologiae
 Janitorem: qui pariter DIRE-
 CTORI rei Academico-Ecclesiasti-
 cæ, quo pacto hic studia colantur, &
 ad ea cotenaa juvenus Sacra Theo-
 logia dedita deducatur, nunciare,
 ac

EPISTOLA

ac Juliani calumnias retundere queat:
 exhibitis primis quasilineis, quas
 in hac Academia ducere visum fuit,
 quæ & σκιαγραφίαν quandam in-
 formationis, & χειραγωγίαν infor-
 mandorum sistere possint, tum
 quidem, ubi qualiscunque mea
 suppellex libraria hic præstò non-
 dum erat, maximam partem repræ-
 sentatæ, ac non absque fervore, ab au-
 ditorio frequentissimo, excepta.
 Quandoquidem vel imprimis de
 studiis verissimum sit illud Xenophontis:
 ὄρεν ἕτως ὅδε ἔσχησον, ἕτε
 καλον τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ ὡς ἡ τάξις;
 nihil sic vel utile est, vel bonum ho-
 minibus, quam ordo. DEUM ve-
 neror, ut vota, quæ Tuae salutis &
 felicitatis causam fiunt, rata esse ju-
 beat: sic Tuo fulgore, ceu sideris il-
 lustris diu adhuc coruscabit Ecclesia,
 aeterno splendore Te adinstar Stelle
 majoris circumdabit Sol justitiæ!
 Scribebam in Sarcophaga nostram Lu-
 therana, die XIIIX. Martii, quæ D.

PAULO

DEDICATORIA.

PAULO RÖBERO Antecessori præ-
clare de Ecclesiâ merito ante annum
beatissima, Academia tristissima
affulsit, jam memoria ejus Acade-
mice dicata est. Anno ab incarna-
tione salutifera, quem exprimit vo-
tum iterum iterumque devotè repe-
tendum.

Io VIVat Iohannes GeorgIVs!
Senlor, JUnlor.

Io VIVat FrleDerICVs MetzIVs!
Præses!

OS) (O) (SO



In libell: de Natura Theologia

D. ABRAHAM CALOVII
Fratris.

Illa in Divinis evolvens intima, Frater,
Certè res ornas ubere luce Sacras.
His studiis propensa Tuis se Leucoris of-
fert,

Convulsa haud unâ Patria clade jacet.
Has aliasq; operas extorris pendat Alu-
mni,

Advena quæq; sibi iurgia probra ferat.
Nec fera excutiat serpens per viscera virus,
Ut redeat Sacris pristinus ille nitor.

Ita, Conjunctissimas Summor: in
alma Leucor: Theologor: cum Fra-
tre amantiss: admiratus ope-
ras, afflictis Patriæ Sacris
enixiss: exoptat, Witte-
bergæ $\frac{16}{25}$ Feb. 1652.

Fab. Calovius Sereniss. Elect.
Brand. à Rationibus intimiori-
ribus in Prusfiâ.

I. N. J.

D. ABRAHAM CA-

LOVI PROF. THEOL.

TRACTATUS THEO-
LOGICUS

DE

NATURA THEO-
LOGIÆ.

CAPUT I.

DE NOMINIS SIGNI-
FICATIONE.

§. I.

Abstractum Theolo- *Origo Vo-*
gia, ut & concretum, *cis.*
Theologus nomen
habet ἀπὸ τοῦ θεολογεῖν
quod dicitur à λόγῳ περὶ τοῦ θεῶ,
verbo, vel sermone de DEO.

*Quid nominis ante omnia constare
oportet in quavis tractatione. Quid
autem Theologiæ nomine significetur,
tria hæc aperient, quæ vulgò expendi
solent*

A

solent

Onoma-
tologia
Vocis
Theolo-
gia.

solent in Ὀνοματολογία. 1. Ἐτυμολογία
2. Συνωνυμία. 3. Ὁμωνυμία. Illa ex o-
rigine vocis in ejus cognitionem nos
deducit: *Ista* è nominum æquipollen-
tium collatione: *Hæc* è variâ vocis
acceptiōne, ut alienæ significatiōnes
removeantur, propria definiantur.
Circa Etymologiam Vocis quatuor
occurrunt expendenda: [1.] *Nominis*
compositi derivatio. [2.] *Simplicium,* è
quibus derivatur collatio. [3.] *Deriva-*
tionis ratio. [4.] *Vocis impositio.*

i. Deriva-
tio.

Quantum ad derivationem quidam
[1.] Nomina simplicia, unde descen-
dit, esse volunt λόγια Θεῶν eloquia DEI,
Rom. 3. 2. Ebr. 5. 2. 1. Pet. 4. 11. quæ
λόγια ζῶντων dicuntur, eloquia vera,
Act. 7. 38. [2.] Alii ἀπὸ Θεῶν λόγῃ verbo,
vel sermone DEI derivant Marc. 7.
13. Luc. 5. 1. c. 8. 11. c. 9. 28. &c. [3.] Alii
malunt dictam à λόγῳ πρὸς τὸ Θεῶν
Verbo, quod de DEO agit idq; rectius:

Theolo-
gia sermo
est de Deo,
vi Etymi,
non verò
sermo
Dei.

[1.] Quia concretum Theologus & ab-
stractum Theologia ab uno descendunt
Themate: Illud autem non dicitur,
quasi Deus loquens, sed quod de DEO
loquatur; ideoq; neq; abstractum acci-
piendum quasi DEI sermo, sed sermo de
DEO.

Theologie.

DEO. [2.] Derivatio petenda est è verbo Θεολογεῖν; Id autem est de Deo differere, vel Deum confiteri, quasi Θεὸν λέγειν καὶ ὁμολογεῖν apud Nazianz. Orat. in Pentecost. ἡ ἀπειλή κατὰ τῶν Ἐλασσημύτων, ἔ τῶν Θεολογούντων minime illa adversus eos jaçantur, qui Spiritum S. blasphemā a oratione infectantur, non eos qui illum Deum confitentur. Et Epiphani. de haeres. Arianor. Si non est adorandus Filius, πῶς ἄρα Θεολογεῖται, quomodo ergo Deus dicitur? ut & μωρόν τὴν κτίσιν Θεολογεῖν. Stultum est Deum creaturam confiteri. [3.] Docent id voces similes, & loquendi ratio v. g. γένεαλογία dicitur recensio vel oratio de genere aut familia; Πνευματολογία doctrina de Spiritibus non loquela Spiritus. Ἀστρολογία sermo de astris non astrorum sermo &c. Fallitur ergo Antonius Waleus L. L. CC. p. 3. Vocem Θεολογίας propriè sermonem DEI significare asserens, etsi usurpetur quoque pro sermone, qui de Deo agit. Rectius B. Augustinus l. 8. de Civit. Dei. Hoc verbo Graeco significari intelligimus de divinitate rationem seu sermonem. Conf. Thom. part. 1. q. 1. art. 7. Francisc. Jun. de ver. Theol.

4 De Significatione Vocis

c. i. utramq; significationem tribuit, quidem receptæ consuetudini sermonis Græci, ut Θεοπρῆπων oraculum dicitur DEI, Θεοσημία significatio, quam exhibet DEUS; Veruntamen alteram significationem fatetur ex usu magis fuisse Græci sermonis, ut sermonem de DEO notet, quemadmodum Patribus etiam Θεοσοφία Sapiencia rerum divinarum fuit appellata: eamq; solum propriè hoc in loco dici agnoscit præsertim cum multa etiam locutus sit antehac, aut impostherum loqui possit DEUS, quæ ad Substantiam Theologiae minimè pertinent.

Vocis λόγῳ
γῆ varia
significa-
tio.

§. II. Ut λόγῳ tum internum, tum externum, verbum notat, tum externum, illud πρῶτως, hoc δευτέρως. Ita etiam Theologia primariò dicitur de interno, secundariò de externo verbo.

Quod ad nomina simplicia, è quibus Theologiae vox composita est: occurrunt [i.] Nomen τὸ λόγῳ, quod et πολύσημῳ sit, præcipuè tamen designat λόγον καὶ ἔσω, seu ἐνδιάνητον, verbum internum, vel mentale, & λόγον καὶ

ναὶ ἔξω *verbum externum*, quod illius est signum, ut pote tūm *ὑπερθεωρητικόν*, seu *verbum prolatum*, tūm *ὑποθεωρητικόν* seu *verbum in scripturas relatam*, utrumq; enim est *conceptus mentalis Symbolum*. De verbo mentali adhibetur Matth. 9. 21. De *vocali* seu *prolato* Matth. 3. 9. & alibi passim: De *Scripto* Joh. 12. 38. c. 18. 32. &c. *Mentale verbum* & de *conceptu* mentis dici potest, ut & de *habitu*, quo pacto *conceptus Theologici*, & *habitus Theologicus* dicuntur. Proinde *Theologiae* nomine venire possunt [1.] *Verbum internum*, ut potè tūm *conceptus de DEO* vel *aliis rebus divinis*; tum *habitus*, qui mente fovetur, cognitionis *Theologiae*. [2.] *Verbum externum* tūm *prolatum* seu *oratio* & *sermo de DEO*, rebusq; *divinis*: tum *scriptum*, cum *Theologia* nuncupamus *conceptus sacros scripto expressos*. Si autem quaeratur, *quidnam primariò hoc nomine veniat*; certum est, *Theologiam precipuè*, ac *principaliter* dici *habitus Theologicum*, *secundariò* autem & *minus principaliter* *doctrinam*, *orationem*, vel etiam *libram Theologiam exhibentem*: Ideoq; cum

§ De Significatione Vocis

Ἐπὶ τοῦ λόγου dicitur, Etymon ita explicandum, ut *primariò* respectus habeatur ad λόγον *internum*, habitumque *mentalem*, *secundariò* ad *externum*, disciplinam vel doctrinam *vivà voce* traditam, vel *scripto*: Quandoquidem etiam *verbum mentis* *primariò* *verbum* sit, *scriptum* autem vel *prolatum* *secundariò* tantum, quatenus illud representat.

§. III. DEI nomen in hac vocis compositione propriè quidem DEUM notat, sed sub aliquà amplitudine, non tantum ratione naturæ, vel essentiæ spectatum, sed etiam ratione operum, vel prout res divinæ simul connotantur.

Nomen
Dei quomodo
hic adhibeatur?

II. Alterum nomen, quod compositionem vocis Theologiæ ingreditur τὸ θεῶν nempè, tametsi aliàs accipitur ὁμωνύμως, cum de *Diis falsis*, ut potè *gentilium*, tum de illis qui per *analogiam proportionis* hoc nomine indignantur, ut sunt *Angeli*, *Magistratus*; hîc tamen, ubi de *verâ Theologiâ* sermo est, Deum verum indigat

συνωνύμῳ

θεωλογίας & proprie ita appellatum. Id tantum advertendum, quod non solum Deum ipsum, sed etiam res divinas complectatur. Cum Θεολογία non tantum occupetur in consideratione Dei, sed & rerum divinarum potissimum, quæ ad Dei fruitionem faciunt. Amplianda itaq; videtur Vocis significatio, quo pacto Scholastici Theologiam versari dicunt circa Deum in casu recto & obliquo, hoc est, circa Deum ipsum & ea quæ DEI sunt, aut certe dicendum, quod à primario saltem objecto petita sit denominatio.

§ IV. Ratio itaq; appellationis Ratio appellatio-
est, quod Theologia & circa Deum est, ac res Divinas occupetur, & habitus quidam mentis sit, aut oratio de DEO. nis.

Quantum ad derivationis rationem, ea è simplicium nominum derivatione facile colligitur. Desumptum nempe est nomen Theologiæ non à principio vel causa efficiente, quasi ipsum verbum DEI sit, sive ratio, quâ Deus semetipsum, aut aliud quid extra sese cognoscit, sive sermo, quem Deus ad nos dirigit. Georg.

Sohnius Theologiam Dei verbum dicit, *Method. Theolog. & Bernhard. Sohnius* Ifag. ad Stud. Theol. c. 1. Dei sermonem vel divinam locutionem: Sed ab *obje-cto*, & quidem *considerationis*, quod Deus est, *adequatè*, si nomine Dei etiam reliqua DEI mysteria, circa quæ occupatur, comprehendas: *Inadequatè*, si solum Deum, qui *primarium considerationis objectum est*.

Alii *Theologiam* à DEO dictam ajunt, ratione *causæ efficientis*, quod à DEO profecta; ratione *objecti*, quod de DEO agat, & ratione finis, quod *ad DEUM* nos deducat: Secundum illud *Thomæ*: *Theologia à DEO docetur, Deum docet, & ad DEUM ducit*. Sed propria denominationis ratio media tantum est, *ab objecto* petita.

*Prima
vocis im-
positio.*

§. V. Si autem primam Vocis impositionem attendas, videtur ea Gentilibus tribuenda, à quibus postmodum in Ecclesiæ usum dimanavit.

Occurrit quippe vox Theologiæ & Theologi apud *Platonem* I. Polit. *Aristotelem* VI. Metaph. c. 1. X. Metaph. c. 6.

c. 6. *Plutarch.* de defect. Orac. ut & *Cicer.* aliosq; Latinos, qui usu etiam suum fecere nomen Græcum. Unde *Lactantius* l. de ira Dei c. XI. *Vetustissimi Græciæ Scriptores, quia de Diis & eorum cultu agerent, appellati sunt Theologi.* Quamquam verò longè diverso, si rem spectes, sensu adhibeatur ea vox à gentilibus, quam in Ecclesiâ, nominis tamen vim Etymologicam eandemprehendimus. Cæterum quod ad *Ecclesiæ* attinet usum sacrum, reperitur nomen illud in *Apocalyplici Autoris* designatione, qui Θεολογος inscribitur in titulo libri, qui an sit ab ipso autore profectus nec ne, in ambiguo est, quod nomen *Johanni* peculiaritèr assignatum volunt Dd. quòd is præ cæteris divinitatem Filii Dei asserat atq; confirmet: ideoq; ratione speciali adhibitum judicatur, ut non à Theologia *universâ latitudine*, sed à *Theologia Filii DEI*, vel à *confessione* ceu adsertione *DEI*tatis sic Filius DEI nuncupatus fuerit.

Quo pacto ferè etiam *Greg. Nazianz.* præ aliis Antiquitatis Doctoribus *Theologi* nomen accepit: quòd maxime in

10 De Significatione Vocis
deklarandâ, & vindicandâ Theologia
seu fide catholicâ de uno vero DEO Pa-
tre, Filio & Spiritu S. laborârit, ope-
ramque eximiam Ecclesiæ DEI hâc in
parte impenderit, quodq; nemo hanc
materiam, ut *Billius* iudicat, Schol. ad
Orat. Gregor. ad Patr. de Episcop. Na-
zianz. sublimiori stylo pertractârit. Quan-
quam D. *Johannes*, nomen quoq; The-
ologi mereatur καὶ ἐξοχή, prout ille
non tantum DEI, sed omnium myste-
riorum, quæ creditu necessaria sunt
ad salutem, cognitionem θεόγνω-
στον habuerit, mysticamq; Theologiam
τῆς διποκαλύψεως ab ipso Filio Dei ac-
ceperit. Usus insuper Ecclesiæ obti-
nuit, ut Theologia nomine postmodum
universa doctrina de DEO & rebus di-
vinis nuncupata fuerit, tum à Grecis
tum à Latinis quoq; Doctoribus, oc-
currit apud *Dionys.* in Epist. ad Tit. &
libr. myst. Theolog. c. 15.

§. VI. Ebraei Theologiam vo-
cant חכמת אמונת sapien-
tiam fidei, vel etiam absolute
אמונת fidei, scilicet doctrinam
vel librum.

Circâ

Circà Synonymiam occurrunt [1.]
 Nomina Ebraica, quæ vel *עֲשֶׂהוּ*, vel
אֲשֶׁהוּ. E *Scripturâ* referri huc po-
 terunt nomina & etlogia, quibus legem
 celebrat David Ps. CXIX. per totum, ut-
 pote quod vocetur *יהוה* item
עֲרֵתוֹ via Domini, & testimonia ejus,
 ut & *יהוה אמונתו* via veritatis &
 fidei, nec non *יהוה אמרתו*
 eloquium Domini &c. Ebræi plerumq;
 voce *אמונתו* eam indigitant ut
 R. Don. Ben. Abarbinel. subintelligen-
 do vocem *ספר* quasi dicas *liber fidei*,
 interdum etiam *חכמת אמונתו*
Sapientiam fidei vocant.

Synony-
 ma Theo-
 logiæ E-
 braicæ.

§. VII. Græci *θεοσοφίαν*, *θεο-
 γνωσίαν*: Latini fidem, religio-
 nem &c. indigitant Theologiam.

Græcæ
 nomina

Græca nomina è *Scripturis* hæc potissi-
 mum colligi possunt, quæ æquipolle-
 ant quodammodo Theologiæ, pleraq;
 tamen *θεσφρασεις* potius sunt, quàm
 Synonyma. Vocatur *θεοδιδασκαλία*
 è 1. *Thessal. IV. 9.* *Λογισμὸς* è 1. *Tim. III.*
16. *θεοσέβεια* è 1. *Tim. II. 10.* *λόγος*
σοφίας è 1. *Cor. XII. 8.* *σοφία* *θεὸς ἐν*
μυστη-

μυστη-

μυστήριον 1. Cor. II. 7. σοφία πολυποίκι-
 λος ex Eph. II. 10. ἡ σοφία ἀνώθεν κα-
 τεργουμένη ἐ Jac. III. 15. ὀπίγνωσις τὸ
 θεῶν ex Col. I. 10. γνώσις τῆς σωτηρίας
 ἐ Luc. I. 77. ὀπίγνωσις τῆς ἀληθείας
 καὶ εὐσέβειας ex Ep. Tit. I. 2. ὀπίγνωσις
 τῶν θελήματων τῶν πατρῶν ἐν πίστει
 σοφία καὶ συνέσει πνευματικῆ Col. I. 9.
 γνώσις τῆς ὁδοῦ τῶν θεῶν ἐν καρδίᾳ τῶν
 Ἰησοῦ χριστοῦ 2. Cor. IV. 6. μυστήριον τῆς
 πίστεως ἐ 1. Tim. III. 9. c. V. 9. Gal. I. 23.
 ὄρασμα τῶν πνεύματων ἐ Rom. VIII. 6.
 ἐπιτοπισ τῶν ὁμαρτῶν λόγων ἐ
 2. Tim. I. 13. ὁδὸς κυρίου vel κατήχησις
 ἢ διδασκαλία περὶ τῶν κυρίων ὁδῶν Act.
 XVIII. 26. &c. Extrâ Scripturam
 Θεοσοφία, Θεογνωσία, Θεοφροσύνη, &
 hujus generis aliis nominibus appella-
 tur. Amesius vocat Θεοσοφίαν & Θεοφρο-
 σύνην c. I. medull. Theol. §. 13. Latini so-
 lent eam designare voce Fidei, Religio-
 nis [ab objecto] Institutionis de fide,
 studii sacri &c. Ludov. Crocius appella-
 tit DEI loquium in Syntagm. Præter
 hæc nomina occurrunt & tituli ho-
 norarii, & encomia Theologiæ innu-
 mera, quæ hîc reduci poterint, si quis
 colligendi operam impendere velit.

Nos brevitatis ergò silentio ea involvimus.

§. VIII. Adhibetur autem vox Theologiæ variè (1.) ἀνύβητος, & ἀναγεννητός, impropriè & abusi-
vè, de falsa Theologia, tum quæ circa Deos falsò dictos occupatur, qualis erat Gentilium Theologia, tum quæ Deum quidem verum proponit, at non verè, qualis est hæreticorum Theologia. (2.) ὑβήτος & γεννητός propriè ac verè de vera Theologia, quæ Deum, prout se patefecit, proponit.

Circà ἑκουσίου vocis (1.) impropria vocis significatio à propriâ discernenda. Illam autem dicimus, quæ doctrinam (1.) de diis impropriè vel falsò dictis denotat. Quamquam enim antiquior videatur usus vocis Græca apud Paganos, non magis tamen proprius est, quàm Dii gentilium propriè Dii sunt. (2.) Quæ de Deo vero falsa tradit, uti pro Theologiâ venditare solent hæretici errores suos: quùm non sit nisi una Theologia, quæ scil. à Deo revelata

*Hæreticorum
vix vo-
cis.*

14 De Significatione Vocis
lata est: quia plus uno verum esse ne-
quit.

Quoad primam impropriam signifi-
cationem, vocat eò sensu *Theologum*,
Gentilium scilicet, *Orpheum* Poetam,
Clemens Alexandr. lib. V. Strom. *Euseb.*
lib. I. de præp. Evang. c. VII. & lib. II.
c. I. *Phœnicum Ægyptiorum, Grecorum,*
Phrygum recenset Theologiam. Juxta
alteram hodiè *Theologos* sese dicunt &
Theologiæ Doctores hæretici, qui rectius
Mataologi ex *Tit. I. 20.* vel *Pseudologi* è
I. Tim. IV. 2. vel *Spermologi* dicuntur.
Addi etiam (3.) potest *impropria* signi-
ficatio, quâ *Metaphysica* Theologia di-
citur, quia aliquatenus etiam ad DEI
cognitionem penetrat, autore Philo-
sopho. l. VI. *Metaph. c. I.* Alii usum
vocis proponunt juxta *prophanos & sacros*
scriptores, quomodo tùm apud illos,
tùm apud *istos* adhiberi consueverit.
Quod ad *Sacros*, è *Biblicis* *Johannem*
nolunt Theologi nomine insignitum:
quod autem ad *Ecclesiasticos*, usum as-
signant tùm *generalem*, quâ *Theologi* di-
cuntur omnes circa res sacras occupati,
tùm *specialem*, pro verâ & è scripturis
haustâ rerum divinarum scientiâ. Vid.

B. Meisneri

B. Meisner. part. III. philos. Sobr. sect. I.
c. 2. q. 1.

§. IX. 2. Theologia dicitur vel de Sapiencia rerum divinarum in Deo, vel de cognitione earundem in creaturis intellectualibus, tum Angelis tum hominibus.

Alia homonymia vocis.

II. Theologia nostra discernenda venit à Theologia in Deo, & Angelicâ. Ut enim λόγος τῷ Θεῷ & in Deo spectatur & in creaturis intellectu præditis, ita & Theologia, quæ in DEO quidem est actus purus, perfectissimus notitiæ rerum divinarum, in creaturis verò quoddam ἀπεικόνισμα illius actus infinitis modis imperfectius; priori sensu DEUS propriissimè dicitur *Theologus summus & unicus*; posteriori verò Theologi nomen *Angeli* quoq; sustinere possunt cum *hominibus*, quatenus illi Dei & rerum divinarum habent notitiam. Quo pacto de Angelis docetur, quod cognoscant res divinas, & eâ in cognitione crescant, *Eph. III. 10.* quodq; gaudeant & desiderent intueri mysteria divina. *i. Petr. I. 11.* De Theologia verò DEI ipsius *Matth. XI. 27.* & *1. Cor. II. 10. 11.* legere est. *Illic Soli Patri & Filio*, (exclusis

clusis creaturis) *hic Spiritui S.* exacta illa notitia, & scrutinium ac cognitio omnium, quæ DEI sunt, vindicatur.

Theologia hominum.

§. X. Quod ad hominum Theologiam, dicitur ea tum de cognitione quæ habetur per naturam, tum de ea quæ per revelationem divinam, vel Scripturam habetur.

*Priori sensu Theologia dicitur in Pneumaticis, ubi tractatur de Deo, quatenus per naturam cognosci potest; aliter autem sensus hujus loci proprius est. Sunt autem illæ significationes à deo distinctæ, præsertim prout nunc, post lapsum, habetur naturalis DEI cognitio, ut συνηρητικῶς illi, qui eam habent, non nosse Deum dicantur, quia non cognoscunt notitiâ illâ salutari in verbo DEI patefactâ: unde ἀθεοι vocantur *Eph. II. 12.* non quod nulla sit naturalis cognitio, sed quod penè nulla, respectu patefactæ, & quod ad salutis consecutionem, planè nulla. Cæterùm cum & status naturæ nostræ alius sit *post lapsum*, quàm fuerat *ante lapsum*, & ratio perveniendi ad salutem quoad hominem peccatorem longè sit alia*

alia, quàm hominis integri erat *ante*
 & *extra peccatum*: Diversimodè quoq;
 se habet Theologia, *quam nunc habemus*,
 & Theologia quæ in *statu integritatis* lo-
 cum habebat, sive *ἡρώγια* *concreta-*
tam spectes, quæ *illic* longè erat perfe-
 ctior, *hic* imperfectior, sive *revelatam*,
 quæ *ibi* lege absolvebatur, *hic* lege & *Ev-*
angelio.

§. XI. 4. Theologia revelata i-
 rerum diversimodè usurpatur;
 quandoq; enim communiter no-
 titiam, quæ à quibusvis fidelibus
 habetur, designat, quandoq; verò
 specialiter accuratiorem cogniti-
 onem fidei, quæ Theologorum
 strictè dictorum propria est, in-
 fert.

Ideoq; Theologia tum de *habitu per-*
veniendi ad salutem dicitur, tum pro
habitu perducendi ad salutem; illo sensu
 omnes *fideles* dici possunt Theologi;
 hoc autem *Doctores* vel *Ministri Ecclesie*
 ita nuncupantur. Aliud quippe est pol-
 lere ipsâ fide, & notitiâ rerum sacra-
 rum, aliud eam explicare ac defendere
 posse è verbo DEI. *Aliud est scire,*
 B inquit,

Theologia
 revelata
 diversa
 acceptio.

inquit, *August. l. XIV. de Trin. cap. quod credere debeat, quod docet fides, quod sciendum, quod scire, quemadmodum hoc ipsum & per quod opituletur & contra impios defendatur.*

§. XII. Theologia speciali sensu accepta vel μερικῶς dicitur de cognitione DEI, aut etiam Filii DEI, quâ DEUS est; vel ὀλικῶς, de cognitione rerum sacrarum ad faciendam faciendum.

Theologia Veteribus dicta specialiter. Priori sensu Theologia Græcis Patribus nuncupata fuit strictè, quæ vel ab actu vel in genere in natura DEI explicanda & in mysterio SS. Trinitatis, vel in specie in natura divina τὸ λόγος declaranda. Illo pacto Nazianz. orationes de SS. Trinitate inscripsit de Theologia: Hoc Johannes censetur Theologus dici, quod Filium DEI DEUM esse demonstravit præ reliquis scriptoribus Θεοπνεύστοις maximam partem in humanitate Christi describendam committentibus. Atq; huc pertinet distinctio Veterum τῆς Θεολογίας καὶ οἰκονομίας (dispensationis.) Illa enim notat Græci Dd. doctrinam de divinitate, hæc vero de humanitate & incarnatione Filii DEI vel de dispensatione, de reparatione hominum.

nis per Christum facta. Apud Græcos enim Doctores, eosq; ferè omnes atq; in omnibus ferè locis, notante *Billio* ad Orat. Nazianz. Θεολογῆν dicuntur, qui divinitatis doctrinam revelatione vel scripto persequuntur. Ideoq; Græci Dd. cum de Christi divinitate institutam habent orationem in *Theologia* versantur; Cum autem de ejusdem humanitate, incarnatione, nativitate, aliisque eò pertinentibus, tum nequaquam in *Theologia*, sed in *Oeconomia* versari dicuntur. *Oeconomix* enim nomine rotum illud divinæ providentiæ consilium intelligunt, quò Dei Filius, ut nos à Diaboli servitute abstraheret, humanitatem induit &c. Ita *Nazianzenus* & Θεολογία τὸ ἀποκείμενον ἡμῖν, ἀλλ' οἰκονομία. Huc pertinet quoq; distinctio Græcorum in explicandis Scripturæ dictis, quæ de *Filio Dei* loquuntur, adhiberi solita ab *Athanasio* & aliis, quod quædam intelligenda sint secundum *Theologiam*, quædam secundum *οἰκονομίαν*. v. g. *Pater major me est. Job. XIV. 28.* verum est secundum *οἰκονομίαν*, non secundum *Θεολογίαν*. Nonnulli *fidem Christianam* etiam distribuunt.

in duas partes, ut prima sit Θεολογία
 altera οἰκονομία: Illa de DEO triuno
 hæc de Christo biuno: Illa de natura
 DEI, hæc de reparatione generis hu-
 mani per Christum facta. Hoc stricti-
 ori vocis significato accipienda est
 Theologia distinctio apud Dionys. Areo-
 pagitam in Epist: ad Titum & libro de
 cœlesti Hierarchia c. 2. in Συμβολικὴν
 & ὑποδεικτικὴν. Symbolica & Mystica,
 quæ vocabulis figuratis divina explicat.
 Apodictica vel demonstrans quæ propriis
 & hæc rursus distribuitur in κατὰ βασι-
 κὴν & ἀποφατικὴν. Illa est cum ali-
 quid de DEO affirmatur ut, DEUS est
 justus, omnipotens; hæc cum aliquid de
 DEO negatur v. g. cum dicitur, Deus
 non est corporeus &c.

Theol. ac-
 cidental.
 consider.

§. XIII. 6. Theologiæ deniq;
 nomen usurpatur vel respectu
 λόγῳ interni vel externi. Priori
 modo Theologia dicitur habitus
 animi, posteriori dicitur doctrina
 de Deo & rebus divinis, sive ora-
 tione tradita, sive scripto expli-
 cata.

Considerari quippe potest Theologia
 vel

vel ut *notitia*, quæ habetur, vel ut *doctrina*, quæ docetur & discitur. *Illæ* consideratio *essentialis* est, hæc *accidentalis*; *Illæ* primaria; hæc *secundaria*, ideoq; hic, ubi de natura Theologiæ agimus, *πρωτως* illam respicimus considerationem, hanc *δευτερω* saltem. Cum enim definienda est Theologia, essentialiter ut habitus; non ut doctrina, vel Systema viva voce traditum vel scripto comprehensum defini debet.

CAPUT II.

DE

Distinctione Theolog. nominali in veram & falsam:

Archetypam & Ectypam.

§. I.

Theologia secundum nomen, I. *Dist. Theolog. in veram & falsam.*
variè distingvitur, i. in veram, quæ revelationi divinæ conformis est, & falsam, quæ non conformis est eidem.

B 5

Accu-

*Distinct.
nominis
discernēd.
à distri-
butionib.
realib.*

Accuratè discernere oportet nominales distinctiones à distributionibus realibus. *Illæ* ad nominis *ουνουπία* inveniendam faciunt; *hæ* ad rei ipsius pertinent repræsentationem vel partitionem. Quantum ergò ad nomen: primam distinctionem constituimus eam, quâ *alia* Theologia dicitur *vera*, *alia falsa*. Certum enim est, quod illa tantum *proprie* Theologia sit, hæc autem æquivocè saltem ita vocetur, nec nisi nomen Theologiæ participet. *Illam* definimus à conformitate cum *divina revelatione*, prout ea *generaliter* sumitur, quæ facta est vel per naturam vel aliâ quâcunq; ratione. Principium enim Theologiæ & norma atq; regula est revelatio divina. *Falsa* verò, quæ non conformis est revelationi divinæ sive contrario sensu ut eidem adversetur sive negativo, ut saltem è divina revelatione haud constet. *Illæ* per se huc spectat, *hæc* non nisi *ex accidenti*. *Illæ* unica est, cum plus unô verum esse nequeat, *hæc* multiplex & varia. *Franc. Junius* c. I. de natura Theolog. *falsam* Theologiam aliam facit *vulgarem*, quæ in principiis naturæ nostræ imperfectis
subsi.

subsidens non assurgit altius ratiocinatione; aliam *Philosophicam*, quæ ratiocinationis errore in falsas conclusiones deflectit. *Illam* Caput falsæ Theologiæ dicit, hanc corpus: *Illam* communem esse omnium ait, ut sunt *principia & notiones communes*; hanc propriam quibusdam & è cultura & accessionibus ad vulgarem adjectam esse. Verùm fallitur hic Junius [1.] Dum falsæ Theologiæ assignat *principia & notiones communes*, quæ etsi *imperfectam* tantum notitiam inferant & cum falsitate conjunctæ sint *ratione subjecti*, quæ corruptum hominis statum, *per se* tamen falsæ non sunt, sed verè à DEO ortum trahentes & naturæ insculptæ; *detinentur quidem in injustitia, veritatem tamen continent* Rom. I. 18. Fallitur [2.] dum *radicem omnis falsæ Theologiæ principia illa communia*, quæ *κοινὰ ἔστιν* vulgò dicuntur, constituat, cum è verò non nisi verum sequatur, nec ex ipsis communibus principiis, *quæ talibus*, sed è corruptione eorum profluxerit *falsæ Theologiæ*. Fallitur [3.] dum *Philosophicam* notitiam Dei falsam indigitat, eamq; ortam è cultura naturalis

Junii
sentent. ex-
penditur.

notionis asserit, quia & *Philosophica*,
 quaedam notitia de DEO vera est, imò
 omnis illa quæ propriè est *Philosophica*
 [Error enim *Philosophorum* non est i-
 p̄si tribuendus *Philosophiæ*] & quicquid
 è naturalis notitiæ culturâ legitimâ
 usq; genuino oritur, *verum* est non
 falsum, eum abusus saltem ejusdem
 gignat falsas opiniones, non usus. Inde

Gentiliū
Theologicæ
distinctio.

ergò promanayit *Gentilium* Theologia,
 quæ juxta *Varronem* & *Senecam* distin-
 cta fuit in *μυσική*, *Θυιακή* & *ἡθική*:

Fabularis

fabularem, *naturale* & *civilem*. *Fabularis*
 [ut *Svetonius* loquitur] est quæ maximè

Naturalis

Poëtæ utuntur. *Naturalis*, quæ Philoso-
 phi: *Civilis* quæ populi. *Prima* maximè

Civilis.

accommodata est ad theatrum. Secunda
ad mundum. Tertia ad urbem. In
prima multa finguntur contra naturam
& dignitatem immortalium, ut DEUS
alius è capite, alius è femore sit, alius è
guttis sanguinis natus, ut Dii furati sint,
ut adulteraverint, ut servierint homini.
Ad alteram pertinet, cum disquiritur,
Dii quæ sint, ubi, quod genus? quales, ex
quonam tempore, an ab eterno sint, an
ex igne sint? ut credit Heraclitus, an
ex numeris, ut Pythagoras, an ex atq-

mis? ut Epicurus. Adtertiam ea spectant, quæ in urbibus cives, maxime sacerdotes, nosse atq; administrare debent, utpote quos DEOS publice colere, quæ sacra & sacrificia facere, quemq; par sit, ut è Varrone explicat August. l. VI. de Civ. DEI c. 1. prima etiam dicta fuit historica, & Theoretica, altera mystica & allegorica, tertia urbana Theologia. Prima voluptatem pro fine habuit, altera studium naturale, tertia utilitatem publicam. Non diffitemur autem quædam vera admista falsis, bonæ malis, in altera præsertim, & tertia Theologiæ falsæ specie, apud Gentiles, ideoq; illa sequestratur & naturalis cognitionis veritati accenseri debent, uti etiam gentiles ipsi ex veris positis de falsitate aliarum opinionum convinci possunt.

§. II. 2. Theologia vera rursus II. Distingvitur in Archetypam & Ectypam. Illa est exemplaris, formalis, increata, infinita, essentialis: hæc effigiata, B 5 infor-

II. Distingvitur in Archetypam & Ectypam.

26 De Theolog. distinctione
informata, creata, finita & acci-
dentalis; illa est in Deo, hæc in
creaturis intellectu præditis.

Toto genere distincta est Theologia,
quæ in Deo, ab eâ, quæ extrâ Deum: non
quidem ratione *disconvenientiæ & diffor-*
mitatis: utraq; enim *vera*, & ita mutua
omninò datur conformitas; sed ratione
essentiæ, & quidditatis; quum in Deo
sapientia *infinita* sit, in creaturis intel-
lectualibus *finita*; in Deo *essentialis*, in
creaturis *accidentalis*, in Deo sit *origo,*
exemplar, & causa omnis sapientiæ; in
creaturis sit *ὑπορροια*, & *emanatio quæ-*
dam nec non effigies solùm Sapientiæ il-
lius, quæ in Deo est. *Prior* est perfe-
ctissima & absolutissima cognitio, sa-
pientia verè divina, tota simul & actus
purissimus: *Hæc* est imperfecta, partia-
lis, creaturis pro modulo ipsorum com-
municata, discreta, habitualis. *Illam*
Junius c. 4. de natura Theologiæ dicit
incommunicabilem, quod cum nulla re
creata communicari possit, *communica-*
tivam autem esse, non sui ipsius pro-
pria, sed suæ duntaxat imaginis, quod
in creaturas imago tantum illius inac-
cessa, infinita & ἀκαταλύτῃς Sapientiæ
trans-

transmittatur, atq; in eis imprimatur
ἀποδείξαι, refulgeat ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ, &
ἀποτασσάμενον, ad illustrationem ipsa-
rum decidatur exemplari illo summo,
& fonte & sole in Deo permanente.

Quæ quidem vera agnoscimus de rebus *Refellitur*
creatis ceteris extra Deum constitutis, *Junius de*
non autem de humana Christi natura in *Theol. in-*
hypostasi Filii Dei subsistente. *Quia commu-*
nicabili-
in ipso tota plenitudo Deitatis habitat,
omnesq; thesauri cognitionis & Sapientie
reconditi sunt Col. II. 9. & 3. Proinde
utut infinita Sapientia per essentiam uni
Deo conveniat, humanæ tamen Christi
naturæ per communicationis gratiam per
unionem personalem verè quoq; com-
petit, ut ex professo demonstravimus

Exam: Doctr. Calvin. de Person. Christ.
Quanam verò sit ratio Theologiæ divi-
næ, cogitatione assequi non possumus,
ideoq; adorandam eam non investi-
gandam judicamus *Job. XI. 7. ↓.*
CXLVII. 5. Es. XL. 28. Rom. XI. 33.

§. III. Theologia ectypos in
Christo considerari potest se-
cundum humanam naturam.

Quod porrò ad Theologiam ἐκτυ-
πῶν vel sapientiam rerum divinarum
à Deo

Quomodo Calvin.
triplicem
ectypon.
Theol. faci-
ant?

à Deo *communicatam*, & ex archetypo
ipsius informatam, quæ ab illa ceu
radius à sole, rivulus à fonte deriva-
tur, eam triplicem facit Junius, Schar-
pius, Valeus, aliiq; Calviniani 1. καὶ
ἕνωσιν s. *unionis in Christo* 2. καὶ ὀπτασίαν
s. *visionis in beatis*. 3. καὶ ἀποκάλυψιν
s. *revelationis, in nobis*. Sequuntur
Calvinianos nonnulli: Sed ut illi gra-
vissimè errant in re ipsa, ita hi quoad
modum loquendi solum minùs accu-
rati, minusq; cauti videntur. Illi
quippe Sapientiam, Christo vi *unionis*
hypostaticæ, secundùm humanam
naturam *communicatam, finitam solum*
& dependentem faciunt, aut si dicant
infinitam, καταχρηστικῶς intelligant,
ut *infinitum* dicitur, cujus terminos af-
sequi nequeamus, vel *infinitum secun-
dum quid, respectu nostri, etsi respectu Dei*
finitum sit. At Sapientia humanæ na-
turæ Christi *communicata* propter
unionem hypostaticam, non *secundum*
quid saltem *infinita* est, sed *simpliciter in-
finita, increata, ipsa Dei essentialis Sapi-
entia*, cum non alia producta sit à DEO
Sapientia menti Christi *indita* vi unio-

nis personalis, sed unius istius divinæ
 immensæ & increatæ Sapientiæ, quæ est
 το λόγῃ propria per essentiam parti-
 ceps facta sit humana natura per com-
 municationem hypostaticam *V. Es. XI.*
1. Job. III. 34. c. I. 16. Col. II. 3. Ortho-
 doxos quod attinet, Theologiam unio-
 nis αὐτόπῳ indigitant non essentialem
 sapientiam, quam minime derogant hu-
 manæ Christi naturæ, sed habitualement,
 quæ singularis quidem est, non autem
 proprie vi unionis personalis, vel per
 communionis hypostaticæ gratiam hu-
 manæ Christi naturæ convenit. Franc.
 Junius urget nonnulla contra hanc
 communicationem argumenta libro
 de natura Theologiæ cap. 6. [1.] quod
 natura divina scire idem sit cum esse :
 At esse incommunicabile est [2.] quod
 humana natura non magis capax sit divi-
 ne scientiæ quam divini esse [3.] Quod
 personalis unio nec confusionem nec trans-
 fusionem admittat proprietatum [4.]
 Quod Christus nobis per omnia similis sit,
 E. & per scientiam. At procedunt
 illa pleraq; ex falsa hypothese, &
 ignorantia sententiæ nostræ, quasi com-
 munica-

Quomo-
do ortho-
doxi?

Argum.
iunii con-
tra omni-
scient:
carnis
Christi.

municatio facta sit καὶ ἀλλοποίησιν vel μεταβάσιν vel ἔκχυσιν, cum potius sit *mystica & singularis* καὶ μετὰδοσιν vel μεταποίησιν, ut *veteres* loqui amant, facta, quæ ipsius τῆς λόγου *æternæ*, non alterius novitèr productæ sapientiæ particeps evasit humana natura; non quod illa in hanc migravit vel transfusa sit; sed quod hæc illam possideat *personaliter*, cum totâ plenitudine *Deitatis*. Quod in specie ad [1.] Junii argumentum, falsò negatur *essentiæ & nature divine* τῆς λόγου *communicatio*. In [2.] *Capacitas activâ* confunditur cum *passivâ*, *physica* cum *hyperphysicâ*, ut & *subjectivâ* in hæsiō cum *personali communicatiōe*; illa rectè negatur, hæc perperam. In [3.] *insufficiens est enumeratio*; cum addenda sit *communicatio personalis*. Quod ad [4.] *Christus per omnia nobis similis est*, quantum ad ea, quæ sunt *naturæ humanæ essentialia*; non autem quæ *hypothesis*, non quæ *unionis* vel *communicatiōis gratiam*: de qua hic quæritur.

Confutatio eorundem.

Walei
Calumni-

Antonius Waleus statum quæstionis constituit, quomodo scientia divina Christi

Christi humanitati revelata sit? de Theol.
P. 5. & respondet: *Ubiquitarios* [(ita nos per calumniã vocat)] *id velle fieri per realem communicationem, seu transfusionem scientiã infinitã divinã in humanum intellectum: hanc autem opinionem pugnare cum veritate & finitudine humanæ nature, & confusionem naturarum cum Eutyche inducere, se itaq; malle statuere, hoc factum esse* [1.] *per lumen extraordinarium Spiritus S. Job. III. 34. Es. XI. 2. Psal. XLV. 8.* [2.] *Per voluntariam objectorum communicationem Job. III. 32. c. V. 20. Ap. I. 1. Verum ineptus est Walæus, dum de revelatione scientiã divinæ querit, ubi non de communicatione per revelationem, sed per unionem hypostaticam agitur. Adhæc Calumniatur Walæus, dum communicationem realem per transfusionem scientiã explicat. Illam enim asserimus, hanc detestamur; illa cum veritate & finitudine humanæ naturæ consistit, quod exemplò realis communicationis infinitæ hypostaseos constat, hæc eidem repugnat; illa salvam relinquit distinctionem naturarum, hæc confusionem inducit. Quòd autem ad revelationem*

nem per lumen extraordinarium & obiectorum communicationem, ea in allegatis Scripturæ testimoniis locum non habet. *Job. III. 34.* disertè de immensâ sapientiæ communicatione agitur, non enim ad mensuram dat ei **DEUS Spiritum**: & exinde etiam explicanda *Es. XI. 2. Ps. XCV. 8.*

Job. III. 32. de visione & auditione & *c. V. 20.* de demonstratione sermo est, quæ fit intra complexum Deitatis, ut *Augustinus*, aliiq; rectè explicant. Quod autem *Apoc. I. 1.* data dicitur *Apocalypsis Christo*, ut servis suis eam indicaret, id non tollit communicationem divinæ omniscientiæ, quæ uti *κατὰ κίνησιν* facta est vi unionis hypostaticæ, ita si *γενῶν* respicias, eamq; externam, quæ nobis revelatur, à voluntate divina dependet.

De Pontificis intuitu beatifico. Pontificios verò quod attinet, qui per intuitum beatificum humanæ naturæ in divinam, scientiæ divinæ revelationem humanæ naturæ factam asserunt, illis rectè opponuntur à *Waleo* Scripturæ luculenta testimonia *Luc. II. 52. Marc. XIII. 32.* quæ volunt, vi intuitus illius à primo conceptionis initio sem-

per humanam naturam vidisse & actu sci-
visse omnia; quoniam etiam Calviniani nonnunquam ita loquuntur, ut videantur asserere humanam Christi naturam inde à primâ conceptione omnia in λόγῳ vidisse, ceu principium omnium. Vid. Bergius in analysi controversiæ de persona Christi θ. 230. & quos allegat ibidem è Reformatis. Interim non est De intuitiva scientia Christi humana natura, cum ea Angelis & Electis conveniat, quemadmodum id agnoscunt è Calvinianis Junius, Zanchius Tilenus, Bergius, aliiq;. Num enim credemus humanam naturam eâ parte inferiorem esse [Angelis & Electis] nec videre faciem Patris in cælis, aut Deum de facie ad faciem? Nec in dubium revocanda scientia habitualis & acquisita, quam vocant, cum ejus respectu crevisse dicatur Christus sapientia Luc. II. 52. Quocirca ἐκλυπῶ. Theologia ita distingvenda: quod alia sit in Christo, alia in iis, qui sub Christo sunt. Ἐκλυπῶ Christi statui potest, tum habitualis & acquisita, quæ ipsi in terris competeat, & augmentum admittebat. Luc. II. 52; ubi quæ in aliis hominibus faciunt ad

Θεωσιοναυ acqvirendam demtâ imper-
 fectione, cum primis *Spiritus S. revela-*
tio, & lumen extraordinarium, habitusq;
infusi Christo in Humanam Christi na-
 turam, quâ per Scripturam licet, ad-
 mitti possunt: tum *intuitiva* quâ nunc
 gaudet in alterâ vitâ, eminentiori mo-
 do, quàm ulli cœlites, Deum videns à
 facie ad faciem, vi glorificationis hu-
 manæ naturæ, quâ utiq; longè excel-
 lētiori gradu quàm cæteris beatis ei cō-
 venit. Distingvenda autem est accura-
 tē à *Sapientiâ Divinâ communicatâ*
 Christo secundum humanam naturam
per unionem hypostaticam: quum illa
 tantum finita sit, hæc infinita: Illa non
 fit propriè consequens unionis Perso-
 nalis, hæc autem sit ejusdem conse-
 quens, & effectum. *Scholastici triplicem*
faciunt humane Christi nature scientiam
 ad lib. 3. sententiarum dist. 14. *Beatam,*
per lumen glorie & visionem intuiti-
vam 2. *Infusam per lumen gratie.* 3. *Ac-*
quisitam sive naturalem per lumen natu-
re, quæ etiam experimentalis dicitur.
 Singulas species perfectissimas in suo
 genere faciunt ac longè perfectiores al-
 liarum creaturarum cognitione; sive

Scholasti-
 cor: di-
 stinct. tri-
 plic. hum:
 Christ.
 scientie.

intensivè spectetur in claritate cognitionis, sive *extensivè* in multitudine cognitorum. Quæ distinctio & unio placet, *animadvers. in Bellarm. Controv.* 2. l. 4. c. 2. ut & *Zanch.* l. 6. de incarnat. c. 3. quæst. II. col. 133. nec non *Tilen.* in *Syntagm.* part. 2. disp. 2. §. 14. itemq; *Joh. Bergio* l. c. nec improbat^r simpliciter à Nostris Theologis *Joh. Matthæi* de unione p. 357. Dn. Chemnitio c. 24. De duab. natur. in *Christ.* p. 357. Quamquam hic *scientiam visionis* faciat ipsam *Sapientiam τὸ λόγος infinitam* humanæ naturæ communicatam; cum *Calviniani & Scholastici* eam à *Sapientia infinitâ* discriminent, quam & illi [Calviniani] prorsus derogant humanæ naturæ.

Utrum autem scientiâ illa Christi animæ propriâ [quam à communicatâ propter unionem hypostaticam distingvimus, uti etiam adversus *Monothetas* distinctam scientiam animæ Christi propriam ab increatâ τὸ λόγος scientiâ agnoscimus] *Christus omnia cognoscat nec ne?* res quæstionis est. *Johan. Berg.* l. c. quodammodo omnia cognoscere ex *Es. XI. 2. Joh. XVI. 30. c. 27. 17. & corda homi-*

Job. Ber-
gii sen-
tentia cō-
futatur de
omnisci-
entia
Christi.

hominum è Joh. II. 25. quia subjecta ei
sunt omnia &c. & in ipso omnes Thesauri
scientiæ Col. II. 3. & Scholasticorum veterum
esse constantem sententiam allerit,
& opinionem illam videri vero propiorem
atq; ita scientiam animæ Christi saltem
objectorum ratione infinitam rectè di-
ci, censet, licet in se sit actus finitus, nec
æqualis divini scientiæ, sive modus cognos-
cendi sive numerus cognitorum spectetur.
Verum Scholastici [1.] Non conveniunt
in eo, quod anima Christi per scientiam
visionis cognoscat omnia saltem quor-
dammodo [h. e. secundum quid] cum fa-
teatur ipse Bergius h. 236. quod Lombardus
lib. 3. dist. 14. Albertus, Durandus, A-
lensis [scientiam visionis] extendant
ad omnia absolutè: Thomas solum & qui
eum sequuntur, ad ea quæ actu sunt, futu-
runt aut erunt s. quæcumq; Deus cognoscit
scientiâ visionis, ut & omnia quæ fieri
possunt, à creaturis, non quæ DEO
absolutè possibilis sunt eam extende-
re: alios ad omnia quidem scientiâ
habituali, non autem ad omnia scien-
tiâ actuali ut Bonaventuram, Gabrie-
lem &c. Non ergo constans est veteri

Schola

Scholæ sententia, quod CHRISTUS saltem *quodammodo omnia* cognoscat scientia animæ propria. Multò verò minus [2] adducunt Scholastici consentienti suffragio illa Scripturæ testimonia, quæ hîc adduxit Bergius ad scientiam visionis animæ CHRISTI propriam, nec communicatam à λόγῳ, quam *finitam* facit Bergius: In quibus de scientia *infinitâ* potius agi alibi invictè docetur: & Calvinian. ἀντι-convincuntur ipsi Calviniani ea de re κατὰ γρηγορίου in conscientia, quia ex illis testimoniis pleriq; solent probare Deitatem *essentialem*; si autem *finitam* tantùm inferrent scientiam, quomodo *infinitam* Deitatem CHRISTI solidè probarent contra Arianos? Omnia cognoscere, corda scrutari, nosse gemitus cordis & opera omnia &c. sunt infinitæ scientiæ non finitæ. Præterea [3.] Suspecta est illa amplificatio *scientiæ visionis*, quam vocant, in *anima CHRISTI*, quæ à Calvinianis quidem eo fine extollitur, ut negetur scientia *infinita*, communicata à λόγῳ. Ideoq; maluit Dn.

Chemnitius Scientiam hanc communicatam dicere ipsam *visionis* scientiam; verum non eo sensu, prout *beatis* tribuitur Scientia visionis, sed prout ipsi DEO, qui scientiã visionis omnia intueri & cognoscere dicitur. Si verò accipiatur pro *visionis intuitivæ eminentiori gradu*, quàm est *beatorum in cœlis*, qualem itidem *Christi humanæ naturæ* adscribi posse, non omninò abnuimus, tùm ea accuratè distingvenda erit à *sapientiã divinã communicatã* Christo secundùm *humanam naturam*, per unionem personalem. Quam infinitam sapientiam humanæ naturæ passim prædicant *Veteres*; quorum elogia perverfè abripiuntur à Calvinianis ad *Sapientiam animæ Christi propriam eidem subjectivè inherentem*, cum ipsi satis sese explicent, quod infinitam & divinam sapientiam intelligant & ex ea etiam essentialem Deitatem Christi *adversus Arianos* solidissimè demonstrant.

Quod verò *Bergius* infert, ita animam Christi non fore formalitèr & in se omnisciam, id faciles damus, imò concedere etiam coguntur *Adversarii*, quia scientiam

entiam animæ Christi propriam ad omnia absolutè sese extendere negant; hinc enim non omniscia sed tantum multiscia erit anima Christi. Cæterum et si formaliter omniscia non sit, & subjective, personaliter tamen omniscia est, & per communicationem hypostaticam gaudens ipsa Sapientia τὸ λέγῃ verè infinita. Quod non omninò dissitetur Tilenus, l. c. θ. 13. dum animam Christi non tantum creatam beatitudinem, ad quam scientia & sapientia creata requiratur obtinere, sed & consecutam esse agnoscit per gratiam unionis beatitudinem incretam respectu personæ, ad quam utiq; requiratur Sapientia increta. Sed hæc occasione Theologia Ectypæ in Christo: ne confundatur cum eadem Archetypus, concurrens in Christo secundum humanam naturam: cum illa formaliter ei insit, hæc solùm personaliter, verè tamen ac realiter eidem conveniat.

§. IV. Porro datur quoq; [2.] Theologia a Theologia ectypus in aliis subiectis intellectualibus, utpote tum

Angelis tum hominibus. Theologia Angelorum est nō tantū intuitiva sed & Abstractiva & discursiva.

Nec solum habetur per visionem, sed etiam per *revelationem*. Eph. III. 10. 2. Petr. I. 10. An verò per species, & quæ objecta, & quomodo per easdem illa cognoscant Angeli? magis difficiles, quàm utiles sunt quæstiones, de quibus Philosophi certant & adhuc sub Judice lis est. Franc. Junius c. 7. de natura Theol. Angelorum, ut & spirituum perfectorum live animarum separatarum Theologiam dicit lumen intellectuale & permanens, & perfectum per modum infusi habitus communicatum, quo lumine cœlestes illæ creaturæ videant Creatorem suum sicuti cēt. Durandus verò censet lumine ejusmodi supernaturali haud indigere cœlites, tametsi aliis Scholasticis secus videatur. Nonnulli pro lumine illo gloriæ adducunt quoq; Scripturam Ps. XXXVI. 10. Ap. XXI. 23. Nullam autem in excelsa Theologia, quæ in cœlis est, Junius mentionem facit *revelationis*, quæ distinguitur ea à visione, cum tamen non modo per *visionem*, sed & *revelationem* cognitio Angelica per-

perficiatur, ut ex *Eph. III. 10.* videre *An disc-*
est. Removet insuper *Junius ratiocina-* *curfus*
tiones & discursus ab Angelis, quæ & conveniat
Raconidis & aliorum Thomistarum est *Angelis?*
sententia præeunte *Thoma p. 1. q. 58.*
art. 3. qui tamen ipsis *experimentalem*
cognitionem tribuit. *At experientia*
fit per *discursum*, colligendo ex multis
singularibus notitiam universalem;
nec quicquam est in ratione discursus,
quod Angelis non conveniat sive
multitudinem intellectuum spectes,
sive *successionem earundem*, sive *progres-*
siōnem à notiori ad ignotius, quæ etsi non
datur in iisdem circa *objecta primò &*
naturalitèr cognita, dari tamè eam circa
objecta acquisitæ cognitionis & cum pri-
mis ea, quæ *conjecturalitèr nota sunt*,
verisimile est, cum unam sæpè cogni-
tionem ex alia eliciat colligendo *ex ef-*
fectis causas, è *signis rem ipsam &c.* Sed
de his alibi. De *Theologiâ homi-*
num sequenti capite age-
mus.

CAPUT III.

D E

Distinctione Theolog. Ec-
typæ hominum in Theolo-
giam revelationis, & visio-
nis, itemq; Paradisiacam, &
Christianam.

§. I.

Theologia Eclypa quæ homi-
ninum, alia [i.] est revelatio-
nis & viæ; alia verò visionis &
vitæ.

Illa hujusce vitæ est: *hæc* verò alterius
ac beatæ vitæ: *I. Cor. XIII. 12. 1. Job. III. 2:*
Illa transiens est & imperfecta: *hæc* per-
manens est & perfecta. *Illa* viatorum di-
citur, *hæc* beatorum & comprehensorum,
qui quidem ita vocantur, non quoad
adequatam cognitionem, sed quoad *finis*
desiderati consecutionem. *Illa* sese habet
in nobis ut *medium*, *hæc* ut *finis*; de illâ
propriè hîc agimus; *hanc* verò quod at-
tinet, spectari ea potest, tum in *anima-*
bus separatis, tum in *hominibus beatis*.
Quod ad *animas separatas* similis ferè
earun-

eundem cognitio est *Angelorum* cognitioni ob naturæ spiritualis convenientiam. *Ille* tamen procul dubio *habitum* Theologiæ hîc *acquisitum*, dum unitæ adhuc erant corpori, retinebunt ita, ut ille perficiatur & *quoad esse*, & *quoad usum*; ac verisimile est *species* quodq; aliquas *impressas* ex hac vita asportandas, ideoq; *ea addiscenda sunt in terris*, d'cente Hieronymo, *quarum scientia perseverat in caelis*; quanquam Thomas animæ separatae memoriam deroget, *Conimbricenses*, *Eustachius de S. Paulo*, *Mendoza* non nisi *species infusas* à DEO ei tribuant.

De *habitu fidei* Controversia est futurum eundem in alterâ vitâ, *Scholastici* ajunt *Thomam* secuti, ut & *Chrysostrum*, *Theodoretum* in I. ad Cor. c. XIII. Alii autem permanurum statuunt cum *Ireneo* l. 2. c. 47. & *Tertuliano* l. de patient. c. 12. quod I. Cor. XIII. 8. dicatur, *Nunc verò manent tria illa, fides, spes, charitas.* Id autem controversiâ carere videtur, *mysteria fidei*, quæ sunt divine revelationis *perfectius, clarig, distinctius* cognosci, & ab animabus separatis & ab hominibus beatis, quàm ab ullo

De Theologia beatorum.

De habitu fidei, an in beatis?

nullo Prophetâ vel Apostolo cognita
 fuere in hac vita. DEUM enim ceu
 primarium considerationis objectum,
 videbimus non *in enigmate* vel *speculo*,
 sed à *facie ad faciem* & *sicuti est* 1. Cor.
 XIII. 12. I. Job. III. 2. atq; ita visione
 beatificâ & revelatione gloriosâ alia
 etiam cognoscentur eminentius atq;
 perfectius. Nec tamen negandum,
actuum exercitiô crebriori habitus inten-
di posse: quamvis certus terminus consti-
tuendus intensioni: neq; cum Victoriâ
putandum, animas separatas immodicâ
intensione dementes fieri posse, quasi ad
eam habitus intensiorem venire queât,
quæ animam dejiciat à statu suo, quæ
sententia magis irrisione, quàm con-
futatione digna. An autem essentiam
ipsam DEI intuitivè visuri sint beati in
dubio est! Affirmanti sententiæ favere
videntur loca jam adducta, negantem,
tamen præter Armenos & Græcos [de
quib9 videatur Armachanus l. 14. quæst.
Contr. Armen.] secuti sunt Budovicus &
hyperaspistes ejus Julianus Poniatovius,
quos confutavit D. Hœe in Epist. ad Bu-
dovium & Antiponiatovio suo. Præstat
autem plenam dijudicationem in Patriâ
expecta-

expectare, quam hic in via decernere. Interim quod ad *visionem comprehensivam*, certum est, eâ videri essentiam Dei non posse, quod innuunt veteres cum essentia divinæ visionem negant idq; *contra Anomæos, Aëtium, Eunomium* Deum à creaturâ cōprehendi posse asserentes, *contra Rom. XI. 33. 1. Tim. VI. 16.*

§. II. Theologia hominis, quantum ad statum hujus vitæ, alia est Paradisiaca, alia Christiana: illa antè lapsum locum habuit, hæc post lapsum.

Distinctio sumitur à gemino statu hominis in hâc vitâ, cum longè alia ratio fuerit perveniendi ad Deum ante peccatum, quam nunc est in statu peccati. Priorem autem Theologiam dicimus *Paradisiacam* ob defectum commodiore appellacionis à loco, in quo homo in statu integritatis positus erat, quâ is homini tantum destinatus erat, persistenti in integritate. Quanquam enim reparatio generis humani per Christum etiam in Paradiso annunciata fuerit primis Parentibus, licebit tamen hanc Theologiam à Paradisiaca distinguere, quod tum extorres jam fuerint

De Theologia Paradisiacâ.

rint. Paradiso ipso jure, ob prævaricationem etsi, actu demum post ipsum. Pro Evangelium ejicerentur. *Gen. III. Christianam* verò alteram indigitamus, ab *objecto considerationis præcipuo*, quod est Christus Mediator & Redemptor generis humani, quâ per agnitionem ejus ad salutem adspiramus. *Prior* etiam vocari poterit *absoluta Theologia*; posterior *modificata & dispensativa*; quia illic de homine absolute ad æternam vitam perducendo agitur. *Illæ* est Theologia primæ integritatis; *hec* Theologia gratiosæ instaurationis.

*Theologia
concreata.*

Cæterum distinguitur ea porro ratione *principii*, quod alia sit *concreata*, alia *revelata*. *Concreata est primigenia illa sapientia habitualis primis parentibus indita per gratiam creationis, quæ ad imaginem D&I conditi erant. Quam [1.] quæ formam habitualem dicimus, ut ab actuali acquisitâ distingvamus [2.] Quæ subjectum, primis Parentibus inditam, quod in illis solis actu extiterit, etsi omnibus hominibus in Protoplastis concessa fuerit, ratione divine destinationis & representationis generis humani in primis Parentibus, quæ omnes in ipsis*

con-

conditi eramus ad vitam æternam.
 [3.] *Qua principium per gratiam crea-*
tionis inditam statuimus, non ut do-
num extrinsecum sed intrinsecum & ad
naturalem istius status perfectionem fa-
ciens, additô creationis modo, quæ
nempe illi erant ad imaginem D E I condi-
ti, non in statu purorum naturalium,
 qui otiosorum Scholasticorum com-
 mentum est, constituti, cum Sapiencia
 rerum divinarum pertineat ad imagi-
 nem D E I Col. III. 10. Consideratur
 autem illa Theologia partim *in sese,*
 partim *respectu objectorum.* Priori mo-
 do spectatur tum ratione *actus primi,*
 tum ratione *actus secundi;* illic habitus
 ipse Sapienciae concreata, hic ejusdem
 exercitium attenditur. Ille erat *com-*
munis & naturalis in primis Parentibus
 omnibus concessus, æquè ut *originalis*
justitia concreata, ideoq; propagandus
 fuerat ad posteros, si in statu integro
 perstitissent. Hic proprius & *persona-*
lis erat, alius in *Adamo,* alius in *Eva*
 non tantum numero sed & modo ac gra-
 du cognitionis, quemadmodum *Adami*
 cognitio perfectior colligitur è *Gen. II.*
 non quidem, prout *concreata* erat præ-
 cise,

cise, sed quâ accedebat *ratiocinatio* ex
 aspectu externo rerum creaturarum: cum
 animalium naturas intimè cognoverit
 & nomina convenientia ipsis imposu-
 erit. *Utriq;* autem tantam cognitionis
 Theologicæ perfectionem assignan-
 dam existimamus, quanta non reperit-
 tur in ullo post lapsum in hâc vitâ, sive
 per *naturam* sive etiam per *Scripturam*,
 quod è perfectione status primævi col-
 ligitur, factâ comparatione cum im-
 perfectione moderni status, post la-
 psam; ubi imago Dei *ex parte* tantum
 instauratur, *plenâ reparatione* alteri vitæ
 reservatâ. *Posteriori* modo, si scil. ob-
 jecta respiciamus, versabatur Theolo-
 gia concreata, tum *circâ DEUM Crea-
 torem*, tum *circâ hominem ipsum*, aliasq;
 creaturas, quod è rudèribus & reliquis
 primævæ Theologiæ, notitiis scil. com-
 munibus quæ natura adhuc nobis insunt
 colligere est. Ea autem objecta omnia
 plenius tum cognita fuisse, si non ra-
 tione actus, saltem ratione habitus
 quâ ab ullo mortalium in hocce statu
 à *posteriori* concludimus ex *omniâ* *gentiâ*
 sapientissimâ, quâ animantibus cœte-
 ris ea ab Adamo imponebantur nomi-
 na.

na, quæ, ipsius Sapientiæ judicio, convenientissima erant; ut & ex agnitione *Eve*, solidas, & explicitatione articuli de conjugio Gen. II. 24. Quod si Adam res ceteras tam accuratè cognovit, quis ambigeret eundem sui etiam accuratam habuisse notitiam, ut & Creatoris sui, cujus infinitam potètiã, sapientiam, bonitatem &c. è creatione colligere poterat! Cum etiam post lapsum talia per librum naturæ & creaturæ cognitã habeamus, ut *Gentilium exemplo* constat, quanto magis ante lapsum, quæ de re alibi plenius cõtra Socinianos.

Quod porro ad *revelatam Theologiam Paradisiacam*, indigitamus hoc nomine illam cognitionem, quam primi Parentes ante lapsum habebant ex revelatione divina per verbum externum, *ωρδοξικη*, quæ è Mose colligitur distinctis vicibus facta & de diversis objectis 1. in legis promulgatione, de arbore cognitionis Boni & Mali Gen. II. 17
 2. In consortis vitæ & adjutorii associatione Gen. II. 18, 3. In benedictione primorum Parentum & concessione domini super animantia cap. I. 28.
 4. In ciborum destinatione v. 29. 30.

Theolog.

Paradisi-

aca reve-

lata.

5. In Sabbathi Sanctificatione c. 2. 3.

Loci Cō-
munes
Theolog.
Paradisi-
aca.

Hinc ergò sequentes colligi possunt
LL. CC. Theologiæ Paradisiacæ primo-
rum Parentum:

Primus est *de D E o*, *cujus natura*
& *attributa* partim ex oratione divina,
à Mose recensita eruuntur, partim è cre-
ationis opere colliguntur; *distincta* ve-
rò in Deitate *personæ* sine dubio ex *inti-*
mâ cum homine conversatione, ac *reve-*
latione cognitæ erant.

Alter de *Creatione*, *cujus* Articuli ac-
curatiorem notitiam Protoplasti hau-
rire poterant tum ex *opere creationis re-*
centi, tum è divina *revelatione*;
Gen. II. 18.

Tertius de *imagine Dei*, *quam* in se
refulgentem habebant.

Quartus de *Angelis*, in quorum no-
titiam, sive per verbum Dei, sive per
communem doctrinam de *Creatione*
penetrare poterant.

Quintus de *Providentia divina*, *quæ*
è syderum motione, è specierum plan-
tarum, animaliumq; *conservatione*,
è domini super creaturas *concessione*,
è generis humani *benedictione* patuis-
set.

Sextus

Sextus de revelationibus DEI, quas frequentes habuissent Protoplastæ.

Septimus de lege, utpote de jure naturali & positivo, adeoq; de lege divinarum cordibus inscripta, tum extrinsecus præscripta, quâ utramq; tabulam. Quid? quod in lege omnia præcepta comprehensa fuerint virtualitèr. In hac lege Adæ datâ, dicente Tertulliano l. adversus Judæos c. 2. Omnia præcepta cõdita cognoscimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen, id est, Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum tibi tanquam te, & non occides, non mœchaberis, non fraudaveris, falsum testimonium non dices. Honora patrem tuum, & matrem, & alienum non concupisces. Primordialis lex est enim data Adæ & Evæ in paradiso, quasi matrix omnium præceptorum Dei. Deniq; si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent, si proximum diligerent, id est, semetipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atq; ita in semetipsos homicidium non commisissent excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum, de furto quoq; abstinentis-

sent, & de fructu arboris clam non degustassent, non à conspectu Domini DEI nostri sub arbore delitescere gestissent, nec falsum asseveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei quod similes essent DEO futuri: atq; ita nec DEUM offendissent, ut Patrem, qui eos de limo terra, qui ex uero matris figuraverat. Si alienum non concupissent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hac generali & primordiali DEI lege, quam in arboris fructu observari Deus sanxerit, omnia praecepta legis posterioris specialis specialiter indita fuisse cognoscimus, quae suis temporibus edita & germinaverant. Hæc Tertullianus 8. De cultu & invocatione DEI, ceu conditoris & conservatoris rerum, à quo omnia dependebant, quicq; sui obsequium & honorem exigebat Gen. II. 17.

9. De Sabbati sanctificatione, quam etiam ante legem viguisse negare videntur Justinus, Ireneus, Tertullianus, Eusebius, Damascenus, Tostat. Abulensis &c. idq; nuperimè Franc. Gomarus prolixè contenderit, vero tamen magis affinis videtur eorum sententia, qui Sabbathum à prima Creatione statim

institutum fuisse asserunt, quam è Verberibus *Philo*, *Chrysofomus*, *Theodorus*, *Augustinus*, aliiq; propugnarunt, è recentioribus pleriq; omnes tum *Calvini-ani*, tum *Orthodoxi* tuentur è *Gen. II. 2.3.* Videatur *Rivetus* in c. 20. *Exod.* contra *Gomarum*, disputans, & *Antonius Walæus* in *LL. CC.* pag. 567.

10. De peccato & pœnâ peccati, cuius quidem articuli cognitio practica in statu integro locum non habuisset, Theoretica tamen colligitur è *Genes. II. 17.*

11. De Ecclesia & omnium hominum sancterum cognitione, quia omnes DEO servituri fuissent vera justitia & sanctitate *Eph. IV. 23.*

12. De Ministerio Ecclesiastico, quod singulariter commissum erat Adamo, utpote cui Lex data erat, ut eam conjugii & soboli inculcasset, Vid. *Gen. II. 17. c. III. 10. 11.* & *Conf. 1. Corinth. XI. 3. 1. Tim. II. 11. seqq.*

13. De Magistratu Politico, cujus officium colligebatur è dominio super creaturas & proeminentiâ Viri supra Mulierem. *Augustinus* quidem

quidem hominem ad imaginem conditum negat homini dominaturum fuisse & *servitutis nomen culpam meruisse*, ait, *non naturam* l. 19. de C. v. DE IC. 15. Thomas verò *primâ primâ quæst. 69. art. 4.* Dominium accipi docet vel quâ opponitur *servituti* vel quâ *subjectioni* simpliciter. Tunc enim aliquem dominari alicui ut servo, quando eum, cui dominatur, ad propriam utilitatem sui, scilicet dominantis refert. Tunc verò ut libero dominari, quando dirigit ipsum ad proprium bonum ejus, qui dirigitur, vel ad bonum.

Prius dominium negat, posterius concedit in statu integritatis. Quod socialis vita multorum non possit esse nisi aliquis præsideat, qui ad bonum cõmune intendat, quodq; unus præ altero habiturus fuisset supereminentiam scientiæ & justitiæ, hoc sensu Augustinus dixisse censet l. 9. de Civ. Dei c. 14. *Non iusti non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi*, hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit. Distingvendum ergò inter *subjectionem* *coactam* & *servilem cum onere conjugatiã*, qualis post lapsum in impiis datur

& *subjectionem spontaneam ac filialem*, sine onere & molestia: quæ tum *Oeconomica*, tum *Politica* in statu integritatis concedenda, quod non modo inter ipsos etiam *Angelos potestates, principatus & dominationes* dentur *Col. I. 16.* sed quod multiplicato genere humano necessarius etiam videatur *Ordo Politicus*, ne *subordinatione & Politia* inter plures familias negata cum *Anarchiâ à ræxiâ* inferatur. Conf. *Arminius* in disp. Theol. disp. 25. th. 8.

14. De *Conjugio*, cujus causam *efficientem* Deum Creatorem, *formalem*, quod sit conjunctio viri & uxoris indissolubilis, quæ duo sunt in carnem unam, *materialem*, quod consistat inter duas personas Marem & foeminam, *finalem*, quod Uxor sit adjutorium viri & utriusq; conjunctione propagandum sit genus humanum è *Gen. II. 24. & 18. c. I. 28.* colligimus.

15. De *Morte* tum *corporali* tum *æternâ*; mortis enim notitiam è comminatione divina habebant *Gen. II. 17.* etiam si eisdem obnoxii non fuissent extra peccatum.

16. De *sine hujus vite*; non enim æ-

ternum in Paradiso terrestri vivere, sed ex hac vita in aliam transferri debebant, ad quam præcipue conditi erant, non quidem interventu mortis vel soluta animâ à corpore, sed salvo manente vinculo naturali animæ & corporis.

17. De *Vitâ aternâ*, quam ex gratia expectabant in Paradiso cœlesti, quando DEO visum eosdem illuc, anima atq; corpore, transferre; qui enim per naturam hic poterant non mori, eâ tandem beatitudine donandi erant per gratiam, ut non possent mori; si scilicet perstitissent in sanctitate concreata. Cognitionem hujus rei denegant Sociniani primis parentibus, cum Christum primum præconem vitæ aternæ constituant, at colligitur ea tum è *comminatione* Gen. II. 17. tum è *sine imaginis divinae* concreatæ, tum è *notitia Gentilium*, qui non omni planè cognitione vitæ post hanc vitam immortalis destituti sunt, eandemq; è *lumine naturæ* quodammodo haurire possunt. Ex hacce *Σωμαστροφίης* Paradisiacæ manifestum est

est, in statu integritatis *legalem* saltem, *Quibus*
 doctrinam locum habuisse, non autem *articulis*
 doctrinam *Evangelicam*. Tunc ergo *locus non*
 traditi non fuissent articuli de *lapsu*, de *fuerit an-*
peccato originis, de *prædestinatione*, de *te lapsum*
Messia, de *Filii Dei incarnatione*, *passio-*
ne, *Resurrectione*, *Ascensione*, *sessione*
ad dextram Dei, de *Satisfactione* & *meri-*
to CHRISTI, de *justificatione per fi-*
dem, de *sacrificiis*, de *Sacramentis*, de
diversis Ecclesiæ membris, de *potestate*
clavium, de *pœnitentiâ*, de *scandalo*, de
cruce & *calamitatibus*, de *adventu Chri-*
sti ad iudicium, & de *iudicio extremo*, de
resurrectione mortuorum, de *morte eter-*
na [ut *Novissimorum aliquo*] & *repro-*
batione &c.

De *Sacrificiis* controversiam movent
 Pontificii eadem in statu integritatis e- *An do-*
 tiam locum habuisse, asserentes. *Greg. de Etrine de*
Valent. l. i. c. 4. de Missæ Sacrificio, ipsam *sacrificiis.*
natura nostra rationem dicitare sacri-
ficia, *genesq;* *compulsas inclinatione*
natura sacrificasse, *Abelem*, *Noam*, *Pontif.*
Job &c. *rationis iudicio spontè sacri-* *affirmât.*
ficia fecisse statuit *Bellarm. l. i. cap. 20.*

De Missa, legem & Religionem necessariò
 conjunctam esse cum sacrificiis pronun-
 ciat, eaq; nata vult cum ipsa religione è
 lumine & instinctu natura, unde relin-
 quitur eadem etiam in ipso statu integri-
 tatis locum habuisse. At refellit Ponti-
 ficios, tum Scriptura tum ratio sana. Illa,
 quod nihil prorsus de Sacrificiis ante
 lapsum è Scripturis hauriri possit, quæ
 solum post lapsum eadem celebrata
 esse docent, utpote ab Abele, qui Sacri-
 ficia per fidem, non per instinctum na-
 turæ obtulit *Ebr. XI. 4.* Adde, quod te-
 stetur Scriptura, *Sacrificia umbram ha-*
buisse Christi. Nam in naturâ nulla est
 Christi umbra, nec ante lapsum opus e-
 rat Christi Sacrificio, ideoq; nec ejus-
 dem adumbratione. Hæc, quia nihil
 omninò è naturâ afferri potest pro cul-
 tu sacrificiorum, quin absolum potius
 videtur rationi, *Deum invisibilem hostiis*
& sacrificiis colere. &c.

Quod verò *Gentiles* sacrificia cele-
 brarint, iisq; Deum coluerint, id non
 ex instinctu natura sed è *samâ & ratio-*
νηλια Ecclesiæ factum, discentibus id,
 ut multa alia, gentilibus vicinis à vici-
 nis Patribus. Est quidem de lege natu-

ræ, ut DEUM colamus, non intrinsecè tantum sed & extrinsecè, sed id gestu, sermone aliisq; actionibus fieri potest, devotionis indiciis; ut autem sacrificiis præcise fiat, id non est de naturæ lege, ideoq; fatetur Fr. Svaretz solum generalem cultum externum legis naturæ esse, nec ullum dari naturæ principium, ex quo sufficienter colligi possit sacrificium esse omnino necessarium p. 3. tom. 3. disp. 73.

De Messia etiam disquiritur, an in statu integritatis venturus fuisset; Affirmativam tuentur præter Rupertum Tuicensem p. 3. de Trin. c. 20. Scholastici quidam, imprimis verò Scotista, Osiandristæ, Photiniani, ut & Calvinianis nonnulli, quamvis dispari ratione. E Scholasticis Alex. Alensis p. 3. q. 2. m. 13. Albertus Magnus in 3. dist. 20. art. 4. Bonaventura dist. 20. Gabriel. dist. 2. Richard. de media villa, Hugo de Prato, Scotus in 3. dist. 7. q. 3. [quem sequuntur cæteri hujus Scholæ Professores] statuunt, Filium Dei carnem assumpturum, etiamsi Adam non peccasset, ob naturæ nostræ exaltationem, ut ut carnem passibilem & mortalem ob redemptionem generis humani a peccatis, solum assumere debuerit: adeoq;

An in statu integritatis,

Messias venturus?

Scholasticorum sententia.

adeoq; ante peccati prævisionem CHRISTUM electum ac præ ordinatum esse, ut veniret in Mundum, movente DEI voluntate ad incarnationem excellentiâ ipsius mysterii, absq; necessitate vel remedio peccati, sed ita ut ante peccati prævisionem simpliciter tantum decretum fuerit, Christum venturum, non autem sub quâ carnis conditione. Abstraxisse enim Deum in illo decreto à carne passibili & impassibili, nihil de hac re definiendo; oblata verò peccati occasione, ut in carne passibili ac mortali veniret statuisset, quemadmodum Scoti sententiam explicat *Job. de Rada part. 3. controversiarum* Scotistic. *controv. 5. art. 3. [2.]* Andr. Osiander anno 1550. in Academiâ Regiomontana docuit, DEUM statim decrevisse missionem Filii sui ante creationem, interea Adamum fecisse ad eandem imaginem, quam Christus suo tempore habere debuit atq; imaginem DEI fuisse faciem & staturam totius corporis, adeoq; totam substantiam humane nature Domini nostri JESU CHRISTI glorificatam. Proinde statuit, Filium DEI incarnandam fuisse, &

Andr. Osiander
sententia.

jans

jamſi peccatum non introiſſet in mun-
dam, ut è peculiari ſcripto hac de
re edito videre eſt. [3.] Photiniani *Photini-*
venturum fuiſſe CHRISTUM, eti- *anorum.*
amſi homines non peccaſſent, ad im-
mortalitatem nobis dandam aſſerunt:
Socinus in prælect. Theolog. cap. 10,
p. 37. ut & in diſp. c. Puccium p. 277.
Smalc. diſp. cap. Frantz. pag. 124.
non ut damnum illatum ſarciret, ſed ut
hominem ad immortalitatem perduceret,
& ut alius quidam ex Antitrinitariis
citante Domino Franzio, diſp. de
ſacrificiis peculiari ſtatuit, ut in ſtatu
innocentiæ mortuos tandem ex terra pul-
vere ſuſcitaret. [4.] E *Calvinianis* *Calvin-*
videntur huc propendere Zanchius in *an.*
Hexaemero p. 3. l. 5. c. 2. Polan. Syn-
tagm. l. 6. c. 27. Bucan. in Inſtit. Theol.
art. 10. opus habuiſſe hominem in ſtatu
integritatis Chriſto Mediatore, non ut
reconciliaretur DEO & ſanaretur à pec-
cato, ſed per quem, quam diu vellet, re-
tineretur in gratia Dei, & præſervaretur à
peccato Job. XV. 5.

Verùm omnes illæ opiniones à ver-
 bo DEI alienæ ſunt. Prima extra
 Scripturam curioſis ſpeculationibus
 vaga-
Refellun-
tur o-
mnes.
Scholast.

vagatur, dum voluntatem & decretum
 DEI de assumptione *humane carnis* ab-
 trahit à voluntate de assumptione *car-*
nis fragilis & mortalis; cum Scriptura
 nullam incarnationem, nullum in-
 carnationis decretum aliud agnoscat,
 nisi de *carnis fragilis assumptione* ad sub-
 eundam mortem in carne pro humano
 genere. *Absolutè* Deum decrevisse in-
 carnationem non definiendo *an carnem*
passibilem non impassibilem assumere de-
 beat Filius; itemq; *ob solam mysterii sub-*
limitatem, & naturæ nostræ exaltationem,
 absq; remedio peccati Deum voluisse
 filii incarnationem, otiosa & vana sunt
 Scholasticorum commenta; cum e-
 contrà verbum Dei semper & ubiq; in-
 carnationem proponat, *cum respectu ad*
peccatum, quod præsupponit & *ad mor-*
tem subeundam, pro peccato; nusquam
 ob solam Mysterii dignitatem incar-
 nationem decretam vel verbo innuat.
Extrà scripturam autem sapere in decre-
tis divinis ferè est desipere; *Ea quæ ex so-*
lâ Dei voluntate proveniunt suprâ omne
debitum creaturæ, nobis innotescere non
possunt, nisi quatenus in S. Scriptura tra-
duntur, per quam divina voluntas no-
 bit

bis innotescit, ait rectissime Thomas p.
3. q. 1. art. 3.

Osiandri commentum è Trismegisto
potius quam è verbo Dei haustum est, *Osiander.*
& vim insignem facit verbis Domini
Gen I. 26. ubi non de Filii Dei incarnati-
one, sed de primi hominis creatione, non
de imaginè humana *CHRISTI* naturæ
intemporis plenitudine assumendæ sed de
imaginè Dei ac *SS. Trinitatis* sermo est.

Nec convenit appellationi Christi
1. Cor. XV. 45. quòd sit *secundus Adam.*
Nam si creationem ordine præcessit
forma humana Christi naturæ in mente
divina præconcepta, ad cuius similitudi-
nem *Adam* creatus fuerit, *CHRISTUS*
primus *Adam* potius, dicendus erat,
quam *secundus.*

Photiniani supponunt falsam hypo- *Photini-*
thesin, quod homo mortalis à DEO *an.*
conditus fuerit, quod in statu integri-
tatis morti obnoxius, quod Christus
immortalitatem demum donare, &
annunciare debuerit, cum potius ho-
mo *ἄφθαρτος* & immortalis con-
ditus sit, de quo aliàs.

Calviniani Mediatorem fingunt Chri- *Calvini-*
stum extrâ respectum reconciliationis *an.*

*ante passionem, cum Scriptura Christum
 Mediatorem unice constituat ratione
 reconciliationis, nec incarnationis
 finem faciat conservationem in statu in-
 tegræ humanitatis, sed reparationem generis hu-
 mani. Cum pronunciet Spiritus æternus
 Dei decreto conjuncta simul hæc duo fu-
 isse, ut fieret nobis Redemptor Christus
 ejusdem nature particeps, fas non est
 longius inquirere, ait Calvinus l. 2. In-
 stit. c. 12. §. 5. Cum tota Scriptura clamat
 Christum vestitum fuisse carne, ut fieret
 Redemptor, aliam causam vel alium finem
 imaginari nimis temeritatis est: quisquæ
 has metas transilit, stultæ curiositati
 nimis indulget dicente iterum Calvino l. 2.
 §. 4. In Scripturâ S. nullam aliam cau-
 sam adventus Christi in carnem tradi, quàm
 ut nos redimeret, ac proinde altiore
 aliam non esse querendam ait Walæus in
 LL. CC. p. 684. Illud Job. XV. 5. sine
 me nihil potestis facere, statum respicit
 post lapsum, non ante lapsum; quid jam
 possimus, non quid ante in statu inte-
 gritatis Adam potuerit. Sicut Angelus
 mediatore ad confirmationem opus non
 habuere, ita nec protoplasti eodẽ opus
 habuissent, si perstitissent in integritate.*

Quocirca missis aliorum opinationi-
 bus, non quidem incertum id haben-
 dum cum Calixto, an si homo non pec-
 casset, nihilominus Filius DEI incarnan-
 dus fuisset, resp. i. Contr. Mogunt.
 th. 99. sed omninò statuendum,
 Filium DEI non venturum fuisse
 in carnem, si homo in integritate
 perstitisset, nec peccatum & per pec-
 catum Mors in Mundum ingressura
 fuissent [1.] quia CHRISTUS pro-
 missus saltem fuit post lapsum, & ut
 hominem lapsum instauraret Gen. III.
 25. [2.] Nunquam sine sanguine Medi-
 ator vel promissus vel adumbratus;
 certo argumento quod purgandis ho-
 minum peccatis unicè destinatus fue-
 rit. [3.] Prophetæ eum non aliter
 proponunt, quam ut Expiatorem pec-
 catorum, & Dei hominumq; reconcilia-
 torem Esai. LIII. 4. seq. Conf. Actor.
 X. 43. [4.] Ipse Filius Dei nullam
 aliam adventus sui causam indicavit,
 quàm quæ respectum haberet ad pecca-
 rum, quod venerit querere & servare
 quod perierat Matt. XVIII. 11. Luc. XIX. 10.
 animam suam dare λύτρον pro nobis
 Matth. XX. 28. Marc. X. 45. quod vene-
 rit, ut pateretur pro nobis Job. XII. 27. 28.

quod oportuerit Christū pati. *Luc. XXIV.*
26. Job. X. 17. quod sanis opus non sit
 Christo *Matth. IX. 12.* [5.] Nec aliam
 causam inculcant usquam Apostoli
Vid. Job. I. 29. Rom. VIII. 3. 2. Cor. V. 19.
Gal. III. 8. c. IV. 5. 1. Tim. I. 15. Ebr. II. 16. 17.
Job. III. 8. &c. Deniq; [6.] non al-
 lium finem ubiq; assignat Scriptura,
 cur carnem nostram suscipere volue-
 rit Filius DEI, nisi ut Mediator &
 Sacerdos noster esset ac victima fieret
 ad Patrem nobis placandum [7.] Facit
 huc *oppositio Adami & CHRISTI*
Rom. V. 12. & 18. 19. Si Adam non peccasset,
 nec Mors in homines transiisset
 utiq; Christus non venisset ut justitiam &
 vitam nobis donaret. Obedientia Christi
 Mediatoris præsupponit inobedien-
 tiam Adami transgressoris [8.] Accedit
 consensus venerandæ Antiquitatis un-
 nanimis. *Neccitas indigentiaq; homi-*
num anterior est, quàm Nativitas Chri-
sti, quia sublata carnem non induisset.
In hoc enim apparuit Filius DEI, ut ope-
ra Diaboli destrueret, ait Athanas. Serm.
3. contra Arianos. Si homo non periisset,
Filius hominis non venisset, perierat homo
per liberam voluntatem, venit Deus homo
 per

per gratiã liberatricẽ, ait Augustin. serm. 8. de verbis Apostoli & serm. 9. Nulla fuit causa veniendi Christo Domino, nisi ut peccatores salvos faceret, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla erit causa medicina. Videatur & è Græcis Origines hom. 24. in Numer. Nyssenus Orat. Catechet. cap. 15. Basil. de Nativitate Christi. Nazianzenus orat. de nativ. Christi ut & orat. 4. de Theologia, Cyrillus Alexandrinus de incarnatione c. 1. Damascen l. 3. de orthod. Fid. c. 18. & è Latinis Ambros. de Dominicæ Incarnationis sacramento c. 6. Hilar. l. 2. de Trin. Greg. M. l. 3. Moral. c. 11. Leo serm. de Nativ. Domini, Anselm. l. 1. cur Deus homo c. 1. [9.] Scholasticis & Pontificiis opponimus Thomam p. 3. q. 1. art. 4. Cum in S. Scriptura ubiq; incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, quamvis potuisset peccato non existente Deus incarnari. Videatur & Capreolus l. 3. sent. dist. 1. Thom. de Argentina 3. summarum dist. 1. q. 1. Marsil. in 3. quæst. 1. art. 3. & pleriq; de Schola Thomæ; quibus accedunt è Jesuitis

Bellarminus l. 5. de CHRISTO cap. 10. *Greg. de Valent.* T. 4. *Commentar. in Thom. disp. 1. quæst. 1. Maldonat.* in cap. 18. *Matth. v. 31. Eecanus* in *Corollar. disput. de vocat. Ministrorum* [10.] *Calvinianis opponimus Job Calvinum* l. 2. *Instit. c. 12. §. 4. Job. Scarpium* de usu *Theolog. p. 204. Anton. Waleum* in *LL. CC. p. 184. Osiandristis* deniq; *opponimus B. Lutheri omniumq; orthodoxorum unanimem consensum.*

CS [O] SO


CAPUT

CAPUT IV.

DE

Distinctione Theologiæ in
naturalem & supernaturalem,
& speciatim de Naturali Theolo-
giâ, ejus capitibus & imper-
fectione.

§. I.

Theologia distinguitur in natu-
ralem & supernaturalem vel
revelatam, illa habetur è lumi-
ne Naturæ, hæc è lumine gratiæ,
Illa imperfectior est in statu post
lapsum, hæc perfectior.

*Theolog.
distinct.
in Natur.
& revela-
tam.*

Desumitur distinctio è duplici com-
municandæ Theologiæ cum hominibus
in hac vitâ modo. Theologiæ autem
naturalis causa efficiens prima DEUS est,
media est naturale illius humanum lumen.
Finis est non quidem preparatio hominis
ad supernaturalem gratiam suscipiendam,
uti vult Alstedius in præcognit. Theol.
libr. c. 15. qui finis concedi nequit, nisi
de Theologia naturali ante lapsum:

*Theolog.
natural.
efficiens.
Finis.*

sed *manu ductio hominis ad ulteriorem Dei indagacionem, quæ in statu integritatis sese habebat per modum alicujus preparationis: in statu post lapsum merè est pedagogica, cum nulla in nobis sit in avorsus, nulla à nobis præparatio ad supernaturalem gratiam.*

Forma. Forma est in eo sita, quod *habitus sit practicus cognitionis Dei & rerum divinarum, quæ per naturam haberi potest; Alsted l. c. Theologiam naturalem & intelligentiam & scientiam & prudentiam facit itemq; ex his tribus habitibus constantem sapientiam.* At hæc est habituum confusio minimè probanda, quæ habitus practici & Theoretici & inter hos spectati distincti permiscetur, & in unum veluti chaos confunduntur.

Materia. Materia est quæ sunt principia natura lumine nota unde deducuntur conclusiones præparationis humanæ modulo. Materia circa quam, sunt *Articuli, vel capita doctrinæ, quæ per naturam nota sunt.* Unde colligitur Theologiam naturalem nec omnibus numeris perfectam esse nec prorsus omni perfectione destitutam.

Theologia natural ante & post lapsum. Consideratur autem Theologia naturalis tum absolute in se, tum relative

*in ordine ad certum hominis statum, utpote qualis erat ante lapsum in naturam integram, vel qualis post lapsum; ibi quæ fuerit est §. præced. innotescere potest. Perfecta ea fuit perfectione partium, & ratione finis, quia sufficiebat ad finem consequendum, etsi non omnibus numeris perfecta extiterit perfectione graduum, quia per supernaturalem Theologiam magis magisque perfici poterat, tum per revelationem gratiæ, tum per visionem gloriæ. Spectari autem potest illa Theologia tum ratione principiorum, tum conclusionum: in principiis erat imperfectior, cum illa natura nota excelsi debuerint ratiocinatione, eaque de causa in hominis intellectu tanquam semina in arvo quodam deposita, ut rationis culturam provererentur ad perfectionem. Accedente autem supernaturali revelatione eadem adhuc perfectior extitisset, omniumque denique perfectissima [qualis quidem in *Ψιλὸν ἀνθρώπων* cadere potest ac debet perfectio] est beata visione in cælis expectanda.*

§. II. Theologia naturalis tum ratione principiorum consideratur, tum ratione conclusionum.

*De Theol.
natural.
post laps.
in non re-
genitis.*

Theologia naturalis *post lapsum* spectari potest tum in *naturâ* corruptâ tum in *reparata*, adeoq; subjecti ratione distinguitur, uti datur tum in hominibus *non regenitis*, tum in *regenitis*. Illa spectatur tum ratione *principiorum* tum ratione *conclusionum* è principii deductarum. Principia quidem permanserunt quodammodo è priori statu, sed ea *communia* sunt, *obscura*, & *imperfecta*, quæ tamen à *corruptione adventitiâ* distinguenda, etsi non reperiuntur in subjecto post lapsum nisi cum illa corruptione. Qualis autem sit Theologia naturalis ratione *conclusionum* spectata, cognoscitur [1.] è *principiorum naturâ notorum debita applicatione*; qualis haberi potest extra revelationem in verbo DEI factam. [2.] È *Gentilium Theologorum scriptis*, quæ illa verbi DEI luce destituti rectæ rationis usu penetrarunt in aliquam Theologiæ notitiam, utroq; autem modo

tum demum rectè cognoscetur, si & principiorum applicatio & Gentilium sententiæ discernantur, prout sese habent *citra corruptionem adventitiam*, vel etiam *perfectionem accidentalem*, quatenus scilicet principia incorrupta sunt, eorumque usus incorruptus, itemque quæ ea adhibentur, vel à Gentilibus adhibita sunt *extrà & citra verbum*, sive *directè* à DEO patefactum, sive *per indirectum* aut quacumque occasione cognitum. Unde *non omnia, quæ in scriptis Gentilium reperiuntur Theologica*, ad Theologiam naturalem referenda sunt: quædam enim ex abusu rationis & principiorum naturalium permanerunt, ut sunt varii errores & falsæ opiniones Gentilium; de quibus in Theologia Gentilium fusius; *Quædam* profecta sunt è revelatione divina, non quidem tam directè facta Gentilibus quàm è populo DEI profecta per *famam* vel *traditionem* ob *conversationem & commercia nonnulla* Gentilium cum iis, qui fuerunt de populo DEI. Sic cum Patriarchæ inter Gentiles vixere, vestigia quædam Religionis à

*Non omnia in
Gentil.
script. ad
Theolog.
natur. re-
ferenda*

DEO patefactæ inter ipsos relictæ
 fuere, e. g. inter *Ægyptios & Chaldaos*
 [qui inter Gentiles pro *summis Theolo-*
giis habiti] *ex Abrahami institutione*
 nonnulla remansere, unde *Trismegisti*
 & aliorum Scripta Theologica magnæ
 autoritatis inter Gentiles extitere, in
 quibus non pauca Christianæ Theolo-
 giæ analogæ de DEO, DEI Verbo,
 Generatione Filii DEI, SS. Trinita-
 te &c. leguntur: quæ occasionem de-
 dère *Socinianis* cavillandi mysteria
 fidei, quod è *Gentilium scriptis hausta*
 & *profecta sint*, cum potius Gentiles
 ea ab Ecelesiâ acceperint.

Quod ergò ad *Theologiam natur-*
Qualis sit lem in se, qualis ea post lapsum habetur,
Theol. na- ea si *absolutè spectetur admodum lan-*
turalis in guida est, cum *revelatâ* vero cogniti-
 se! one comparata *valdè imperfecta* est,
 cum *notitia* deniq; *Evangelica* collata
prorsus nulla censeri debet, quâ nihil,
 nihil omninò de revelatione Evangelii
 naturâ innotuit, quippe quod myster-
 rium est planè absconditum *Rom. XVI.*
 26. Quod verò *in specie* ad capita
Theologia istius naturalis, potiora sunt
 seqq.

I. De DEO quâ naturam & attribu- Capita
ta, nec non voluntatem DEI legalem Theolog.
ex parte, & opera nonnulla, minimè naturalis.
autem quâ personas distinctas Deitatis,
vel voluntatem DEI Evangelicam, & o-
pera gratia, aliâq; mysteria divina,
quæ rationi prorsus ignota sunt.

II. De lege DEI, quæ eadem è lege
naturæ habetur secundum præcepta
utriusq; tabulæ. Huc pertinent
Zalevci leges, aurea Pythagoræ verba,
Socratis, Platonis Moralia præcepta,
Epiëcteti regula, Jamblichi, Simplicii
aliorumq; Platoniorum, itemq; Ari-
stotelis & Peripateticorum monita
egregia, leges XII. tabularum &c.

III. De peccato & transgressione
legis.

IV. De pœnâ peccati, quæ etiam
lex naturæ & conscientia cujusq; dicitur
propria.

V. De immortalitate animæ, & vitâ
post hanc vitam, quæ è Zoroastre,
Hermete Trismegisto, Phocilide, Pytha-
gora, Socrate Platone, Xenocrate, Epa-
minonda, Ciceron Plotino, Jamblicho &c.
ostendimus Dead. dissertat. de; Pseudo-
Theol. Socin. p. 80.

§. III. Est autem Theologia naturalis tum insita tum acquisita.

Theolog. natural. distinct. in insitam & acquisitã. Controversia hic movetur de cognitione DEI naturali, quam è Scripturis constituimus tum *εὐφροσύνη* vel *insitam*, quæ & *subjectiva* dicitur, tum *ἡμετέριον* sive *acquisitam*, quæ *objectiva*: Illa refertur ad *librum nature internum*, hæc ad *externum*; illa pertinet ad *κοινὰς ἐν ὑμῶν* *notiones communes* omnium hominum mentibus insculptas per *naturam & creationem*, hæc verò dependet ex illis notionibus & primis cognoscendi principiis, & elicitur *intuitu creaturæ per sanam rationem*; illa concernit potissimum *principia*, hæc conclusiones inde deductas: *utraq;* propagatur *naturaliter absq;* *notitia verbi divini*: prior per *generationem*, altera tum per *institutionem & doctrinam*, tum per *indagationem & culturam propriam*.
Socini opinio. *Utramq;* negat Socinus. De *insitã* fateatur quidem *receptiorem esse sententiam notitiæ homini naturaliter inesse divinitatis aliæ vera sententiæ, cuius vi cuncta regantur, at falsam eam pronunciat* Prælect. Theo-

Theolog. cap. 2. p. 3. Quamquam
verò admittamus *actum non inesse homi-
ni notitiam de DEO per naturam*, quan-
tum ad *speciem expressam*, haud tamen
derogandam esse *omnem habitualem*.
Θεογνωστικῶν censemus, adeoq; *insitam*
DEI notitiam sese per modum *habitus*
impressi habere statuimus. Quam sen-
tentiam ex *implantatâ* vel *inscripta na-
tura lege Rom. II. 14.* è reliquiis *divinae*
imaginis, è *vi conscientiae*, ut & *gentium*
omnium consensu ab interno *naturae di-
ctamine* expressè probavimus; simulq;
rationes *Socini* discussimus *tr. de cogni-
tione DEI naturali §. 58. p. 146. seqq.*
Tom. II. super *Aug. Conf.* Porro impu-
gnant quoq; *naturalem DEI notitiam*
Flacius & assecla, qui utut *secunda tabula* *Flacii sen-
tae præcepta inscripta menti hominum*, *tentia.*
etiam post lapsum fateantur, *prima tamè*
tabulae præcepta naturâ inscripta
negant, adeoq; *principia aliqua vera*
notitiæ unius DEI post lapsum
τῆ φύσεως *insita* esse inficiantur,
nec nisi *semina superstitionis, erro-
ris, idololatriæ* in homine esse per
naturam agnoscunt. Vid. *Clav.*
Flacii sub voce *legis col. 574. seqq.*
Verùm

Antithe-
sis.

Verum naturalis illa propensio ad errores non debet opponi naturali cognitioni DEI, quam post lapsum cum imperfectione & corruptione magna conjunctam agnoscimus. Non enim a se sunt illa: cognitio aliqualis de Deo & magna inclinatio ad errores, idololatriam vel etiam atheismum, uti non inficiatur Flacius, acquisitam Dei notitiam naturalem, qua vi rationis homo ut cunq; summam causam ex effectis colligat, tamen si fateatur Philosophos ea instructos ad dubitationem, errores, stultas opiniones, idololatriamq; mox declinare se col. 564. Ita docet Apostolus concurrere γνώσις τῆς Θεῆς cognitionem Dei cum ματαίωσις τῶν διλογισμῶν vanitate cogitationū de Deo imò utrumq; affert de eodem corde, quod & non intelligens sit & cognoscat tamen Deum Rom. I. 21. illud quod cognitione Dei non utatur prudenter, quo Deus celebretur ut Deus; hoc quod nihilo fecius aliquam habeat veram de DEO notitiam. Illud ratione perfecta, viva & salvifica notitiæ, hoc ratione quælibet cunq;, instabilis & otiose notitiæ. Utrumq; tribuitur Gentibus & quod veritate

ritatem possederint, & quod eandem
in injustitia detinuerint Rom I. 18. Di-
stinguendum itaq; hinc [1.] inter noti-
tiam mentis, & affectum ac inclinatio-
nem pravam cordis: illa pertinet ad legem
naturæ & est portiuncula quædam resi-
dua concreta sapientiæ, hæc autem
est è lapsu hominum; illa connata,
hæc autem non proprie connata sed
mali connati effectus est, & opus carnis
dicitur. Distinguendum insuper
[2.] inter notitiam Dei certam, distin-
ctam, sufficientem; & languidam, con-
fusam ac insufficientem; inter notitiam
sublimium mysteriorum Dei, quæ rationis
humanae captum transcendunt, &
cognitionem aliqualem de DEO & attri-
butis divinis, ad quam mens humana
etiam citrà revelationem verbi assurge-
re potest; illam enim insitam homini
non esse largimur; sed non tamen ideo
hæc inesse homini neganda erit. Di-
stinguendum deniq; [3.] ut scire vel
nosse DEUM & credere DEUM, scimus
enim per demonstrationem rationis, fa-
tente iplo Flacio, quod sit DEUS; &
credimus tamen etiam per illuminatio-
nem Spiritus Deum esse, quidni ergò &
jam

jam hæc consistere possint, quod *scimus per notitiam innatam, credamus per notitiam revelatam!* Plura contra Flac. vid. tract. cit. §. 71. p. 169. seqq. Affinis errori Flacii fuit sententia quorundam *Helmstadiensium*, quæ statuit *naturales notitias de DEO & lege DEI & quicquid omninò luminis naturæ beneficio cognitum habemus, adeoq; principia & conclusiones Philosophicarum disciplinarum adversari revelatam notitiæ DEI, & principiis ac conclusionibus Theologicis; sed de ea agendum propriè circà usum Philosophiæ in Theologiâ.*

*De natur.
& ywσ.
acqvisitâ.*

Ideoq; revertimur ad *Socinum*, naturalem *Dei notitiam acqvisitam* penitus inficiantem in prælect. Theolog. cap. 2. p. 4. & in *Miscell.* p. 68. ubi necesse esse ait, ut *DEUS* sese hominibus patefaciat. Nec admittit, è *Mundi machina* *DEUM* cognosci posse: cui adstri-pulatur *Ostorodus* *Instit. Relig. Christi.* cap. 1. p. 10. Quamquam verò notitiam *DEI salutiferam* è libro creature haberi non posse concedamus, ut *Ostorod.* cum *Socinò* nobis imputare videt-

tur, aliquam tamen Dei notitiam generalem minusq; perfectam pedagogicam haberi posse ex intuitu hujus universi, si sanus rationis usus debitumq; indagandi studium accedat, statum inam (1.) est testificatione Apostolica Rom. I. 19. 20. Prebatur Ubi agi de manifestatione communi ea contr. omnibus hominibus & Gentilibus Socin: è adeò, ut nemo pratexere possit ignorantiam DEI, cum omnes DEUM cognoscere potuerint, & quidem è creationis operibus adeò manifestum est, ut Crellius etiam missà Socini & Ostrodi (νεφελότης) (quod ea, quæ invisibilia fuere à creatione Mundi, per miraculum Christo & Apostolorum manifestata fuerint) id agnoscat in Comment. ad Rom. I. 19. p. 63. ut & Autor versionis Germanicae Novi Testam. Racoviensis. (2.) E Concione Paulina apud Athenienses habita, ubi Apostolus Gentilibus verum DEUM ignorantibus tribuit Ευσέβειος religiosum DEI cultum Actor. XVII. 22. seqq. & è notionibus illis communibus ceu concessis, quod Deus sit, quod fecerit Mundum & omnia in Mundo, quod Dominus sit Cæli & Terræ, quod nullius rei indigus sit, quod in DEO

nos vivamus, moveamur & simus & c.
 refellit Atheniensium cultum, ac de-
 ducit eos ad verum DEUM, simulq;
 testimoniis Poëtarum Gentilium convit-
 cit eosdem, ac scopum manifestatio-
 nis DEI per naturam factæ ostendit
 quod sit *querere Dominum, si fortè pal-
 pando inveniri possit*, quod DEUS Condi-
 tor veluti palpari queat ex iis, quæ
 condidit, & præprimis è generis humani
 productione, è terra universe ad inha-
 bitationem concessione, è temporum de-
 terminatione, è limitum & periodorum
 regnorum definitione, quæ omnia su-
 premum rerum omnium Dominum &
 principium omnium *ὁ ὄντων ὄν* cla-
 moso silentio produnt & reapse omni-
 bus contrectandum exhibent, non con-
 tactu corporis, sed apprehensione mentis
 (3) Ex (3) E concione Lystrensi Act. XIV. 15
 Act. 14. 15. seqq. quâ Gentiles à vanis rebus, quibus
 serviebant, revocat, ad DEUM vivum
 docetq; DEUM illam ipsis sese haud re-
 liquisse *ἀπαρρητοῦ*, sed testatum etiam
 fecisse iis, qui in viis suis incedebant
 non verbi revelatione, qua caruerunt
 non immediata apparitione, vel etiam
 traditione, sed operibus suis & beneficiis
 pe

per quæ agnosci potuerit ipse, ut beneficiorum autor & dator, quæ tum *in genere* proponit, quod DEUS *ἀγαθοποιῶν* benefaciendo sese patefecerit, ceu in sese summè bonus, & omnis boni fons & scaturigo, tum *in specie* exponit, quod nempe testatum se fecerit DEUS, *pluvias de cælo concedendo, tempora frugifera largiendo, cibo & laticia corda hominum implendo.* Per quæ n. testimonia DEUS de seipso testatur Gentilibus, per ea etiam ceu media *θεογνωσίας* certâ Gentiles potuere in cognitionem DEI deduci. (4) *E Scholæ natura de-* (4) *E Ps.*
scriptione, quæ habetur ψ . XIX. 2. *seqq.* 19. 2. ubi 4. præcipuè occurrunt argumenta 1. à cælorum prædicatione; Cæli enarrant gloriam, scilicet non *vocis præconio* sed *operis artificio*, non eloquendo vel sermonem proferendo, sed *veluti scriptam legentium oculis exhibendo*, quia ex illis *bonitas, Sapiencia & potentia Dei* cognoscitur. 2. à *firmamenti annunciatione.* Si enim firmamentum illud annunciat, quod sit opus DEI, utiqvè è firmamenti consideratione possumus cognoscere, quod sit DEUS, ejusdem Conditor & opifex; at verum est

prius E. & posterius. (3.) à dierum ne-
 trumq; informatione. Si enim ordo re-
 porum & sydera, quibus ea gubernan-
 tur, immensam Sapienciam, Potenciam
 ac Providenciam Dei indicant, manife-
 stissimum est, eorum consideratio
 solius rationis beneficio, sine Dei Ver-
 bi expresso, aliquam de DEO haberi
 posse notitiam. At verum est prius
 fatente ex h. l. *Crellio* in Comment.
 Rom. I. p. 66. E. & posterius. (4.) *E pre-*
sonii caelestis amplitudine: non est sermo,
Et non sunt verba, ubi non audiatur vox
eorum, id est, secundum Vatablum &
Crellium ipsum; non obstat linguarum
discrepancia, quin ubiq; exaudiatur celo-
rum praconium. Cum itaq; omnes
 intelligere possint, quæ ab hisce DEI
 praconibus annunciantur, utiq; o-
 mnes de DEO informari queunt per
 naturæ magisterium & praconium, et
 tamsi DEUM in verbo suo loquentem
 non audiant.

(5) è Ps.
 103. 22.

(5) *E creaturærum irrationalium cele-*
bratione, quæ DEUM opificem laudare
dicuntur non effective sed objective, quod
intelligentibus materiam laudis ex-
hibeant, & sui contemplatione ad ag-
 noscent

noscedum & celebrandum Opificem
excitent, ut scilicet opus laudet artificem
*Eccles. IX. 24. V. Psal. CIII. 22. & Ps.
CXLIX. 3. seqq. Conf. Johan. Crel-
lius l. de DEO & attr. div. c. 3. è Creatu-
rarum & Mundi opificio demonstrans,
esse DEUM, & quomodo singula natu-
ræ opera singula divinitatis argumenta
suppeditet declarans. (6) Amanuductio- (6) è Job.
ne Jobi, qui à creaturis ad Creatorē nos 12. 7.
deducit c. XII. v. 7. seq. Si enim nemo
non intelligere potest è creaturarum
consideratione, quod manus, id est, po-
tentia DEI eadem fecerit, planum
est naturalem dari de DEO Creatore
notitiam, quam omnes haurire queant
è creaturarum intuitu Conf. & Job.
XXVIII. & seqq. capp. Esa. XL. 26.
Syr. XLIII. Sap. XIII. 1. seqq. (7) (7) è Nat.
E nature consideratione; ubi argu- consider.
menta notari possent plurima, quæ
suppeditat natura ad demonstran-
dam DEI autoris & conservatoris
naturæ existentiam, quæ alii aliter
proponunt, urgentes moventium or-
dinem, efficientiam, entium gradum &
connexionem, certam propter finem ope-
rationem, naturalem inclinationem &c.*

Nos committimus hinc *Socinum* & asseclas cum *Job. Crellio*, qui tum in *Comment. super Epistolam Rom. I. p. 66.* tum in tract. de *DEO* & attrib. div. c. 2. seqq. ejusmodi argumentis nostram egre causam adversus *Præceptorem Socinum*, demonstrans, Deum esse, illis etiam constare posse, qui *Autoritatem Sacrorum Scriptorum* non admittunt, idque triplici rationum genere, 1. ex *universa rerum natura*. 2. ex *rebus humanis, sive à natura, sive ab aliâ superiore causa ortis*. 3. ex *iis, quæ præter naturam sunt, aut fiunt*. Quibus adde Comment. cit. *constantem in omnibus præpè Gentes opinionem, quæ indicat pronitatem nature nostræ ad numen aliquod credendum ac colendum*; in quam sententiam plurima *Gentilium testimonia* produci possent; unde etiam agnovit *Smalcus*, ex ipsâ *natura & rectæ rationis luce constare posse cognitionem aliquam DEI*. V. *Refut. Franzii* disput. 1. th. 12. ut & disput. 8. p. 424. Plura hac de re legi possunt in tract. nostro de *cognitione DEI nature* p. 83. seqq.

§. IV. Naturalis Theologia, uti à salutiferà revelata distincta est, ita nequaquam ad salutem sufficiens censi potest.

Natural.
Theolog.
insuffi-
cientia.

Porro disquiratur etiam circà naturalem Theologiam; *utrum ejus beneficio Gentiles Verbi DEI revelatione destituti ad eternam salutem adspirare potuerint?* In affirmativam propendent hodiè, (ut de antiquis hæresibus taceamus) (1) Pontificii nonnulli, tum qui legem naturæ facientes salutem consequi asserunt, absqve alia cognitione supernaturali DEI, modò reliqua invincibiliter ignorent, in quam sententiam Gregorius de Valentia adducit Scotum, Victoriam, Vegam Tom. 3. contr. p. 390. Maldonatus in cap. II. Matth. v. 27. Gentiles, inquit, poterant servatà lege naturæ, omnium confessione esse salvi. Perer. disp. 18. in c. I. Rom. habuisse eos fidem implicitam asserit, eaq; salutem consecutos esse pronunciat; Catharinus in I. Tim. IV. quosdam non fideles salvari posse statuit. Adde Erasmi in præfat. super Tusc. Quæst. Cic. & in Colloquio religioso, Bodinum, &c: tum

Qui eam
ad salut.
sufficere
dicant?
Pontificii.

qui veram etiam fidem & cognitionem
CHRISTI ad justitiam & salutem æ-
ternam haberi posse naturali noticia
contendunt, utpote *Theobald. Tanner*

*Weigelia-
ni.*

Andradius &c. (2) *Weigeliani* lumine
nature maximoperè præextollunt, quod
ejus beneficio ad divinam sapientiam
pervenire possumus, & ea, quæ ad
salutem cognitu necessaria sunt,
lumine nature haberi asserunt, quæ
de re videatur *Weigelius* in *Postill.* p. 2.

*Zvingl.
cum asse-
ctis.*

&c. Quem sequuntur etiam *Paracel-
sista, novi Prophetæ* aliique falso ita
nuncupati *Theosophi.* (3) *Zwinglium*
in exposit. fidei ad Regem Christianis-
simum fol. 554. *Herculem, Numam
Aristidem, Socratem inter beatos culte-
tes* numerat, quem librum præfatione
ornavit *Bullinger*, vocans *cantionem
cygnæam*, eumque insigniter commen-
davit *Lavaterus.* *Gualtherus* verò Apo-
logiam etiam edidit pro eodem anno
1545, in qua defendens *Zwinglium* as-
serit, præter DEI Verbum scriptum dar
*rationes & suggestiones tam externas
quàm internas, quibus Gentiles salvari
potuerint.* Patrocinium *Zwinglii* susce-
perunt

perunt quoque Tigurini in Respons. ad Luther. anno 1545. fol. 16. ut & Embdenses commonestione contra Hunnium p. 3. fol. 416. Sohnius in Exeg. in August. Confess. p. 892. ut & Pareus in Irenico c. 28. aliiqve moderni Calviniani excusant Zwinglium cum Tigurinis, quod non Ethnicos quã Ethnicos sed tanquam fideles inter beatos numerarit. Pareus Zwinglium ait, Gentilibus salutem adscripsisse tantum sub conditione, siquidem in fide hinc migraverint. Verum Zwinglii verba absoluta sunt, non hypothetica: Videbis ibi Herculem, &c. asseritq; Zwinglius, DEUM aliquid fidei in corde Gentilium sua manu scripsisse, adducens insuper Patres nonnullos, & Melancht: qui ex caritatis canone censuerit, Numam fidei scintilla inbutum fuisse, num hæc tantum hypothetica? Porro si Gentes Verbi DEI revelatione destituti fidem habuere in Christum, aut ex immediata DEI patefactione (quod etiam videri nolunt asserere Calviniani) aut è nature lumine eam hauserunt?

Quomodo Zwingli excusent Socin.

Adde quod contendat Zwinglius verbis illis, qui crediderit vel non crediderit *Marc. XVI.* istos non teneri, qui per aetatem audire nequeunt, neque istos, ab quos Evangelii mentio nulla pervenit in Elench. contra Anabapt. Tom. II. oper. f. 35. Ideoque merito reprobavit B. LUTHERUS Zwinglii opinionem, cumque planè Ethnicum factum esse pronuncia- vit Tom. 8. Jen. Germ. fol. 175. ut & in Comment. super Gen. 47. f. 633. Zwinglio addendus est Albertus Hardenbergius, qui publicè docuit, Platonem, Numam, Scipionem & alios honestiores Ethnicos salvandis accensendos esse. Daniel. Tossanus defendere quoque conatus est impietatem Zwinglii scripto contra Marbachium p. 380. Dan. Tilenus, cum adhuc Calvinianus esset, consideratione cap. II. concessit fuisse quosdam inter Gentes, qui absq; verbi praconio de omnibus mysteriis necessariis edocti fuerint. Moses Amsrathus in Salmuriensi Academia duas species praedicationis salutiferae constituit; unam, quae Ministerio Apostolorum & illorum, quibus Evangelii praedicationis commissae est, fit: alteram, quae fit per

per solam administrationem providentiæ
divinæ mundum conservantis, hinc e-
tiam duas species fidei facit, alteram in
Misericordiam DEI manifestatam in
Christo, alteram in *misericordiam de-*
stitutam cognitione Redemptoris Christi,
cujus verba è Gallico in latinum ser-
monem conversa videantur apud *Dn.*
D. Hülsemannum, de indebita & uni-
versali Conversionis gratia c. l. th. i.

Cæterum rejecerunt tamen
Zwinglii opinionem alii è Calvinia-
nis præcunte *Oecolampadio*, ut & *Be-*
za vol. i. tract. Theol. p. 103. qui
nobiscum faciunt in hac controver-
sia.

(4.) *Arminiani* actualem gratiæ sal- *Armi-*
vificæ singulis hominibus applicatæ colla- *niani.*
tionem propugnantes, Gentilibus quo-
que destitutis verbi præconio æternam
adscribunt salutem.

Nostra ut breviter expediatur *Vera sen-*
sententia, distinguendum inter gratiam *tentia.*
immediatè salutiferam & gratiam quan-
dam pedagogicam, illam dicimus, quæ
directè ad conversionem animarum
ducit, hanc quæ ducit ad Ecclesiam,
ad quam perducti, mediante præco-
nio

nio verbi salutiferâ gratia frui possint; *illam* Gentilibus Verbi DEI revelatione destitutis denegamus, hanc autem concedimus, quæ etiam ad ἀναπολογίαυ eorum sufficit Rom. I. 21.

Declarat: Ita plerosque Patres orthodoxos declarandos esse nonnulli monent, quâ
Patr. Orthodox. Vocationem quandam gratiosam universalem asserunt, quæ omnibus hominibus & ex intentione DEI & naturâ sua sit efficax medium omnes omninò homines ad Ecclesie communionem adducendi. Hanc autem consistere volunt
 (1.) in informatione mentis, ut DEUM colendum iudicet. (2.) redargutione mentis, quod cognoverint jus DEI, qui talia faciunt dignos esse morte Rom. c. I. 32. (3.) Inclinatione voluntatis & appetitus, ut homo aliquando velit vel possit velle hoc iudicium de DEO verò colendo sequi, à peccatis commissis liberari, à committendis abstinere, quæ summa est ἐντελέχεια gratiæ interne universalis, homines omnes ratione utentes ante vel citra prædicationem verbi aliquando prævenientis,

est Patrum mentem explicant nonnulli.

Quod si porro quærat, num præter hanc communem gratiam, quæ creatricem gratiam haud excedit, alia quædam singularis & supernaturalis gratia præveniens Gentilibus adscribenda sit quæ elevarit lumen naturæ ad altiore, nature & ex se incomprehensibilem scientiam, voluntatem etiam inclinarit, ut appetitui aliquando vim inferre vellet, non propter honestatem Politicam, sed ob debitum DEO cultum & conjunctionem cum Deo? In affirmativam abeunt nonnulli ex orthodoxis Theologis, referuntque huc instituta quædam Philosophorum, quæ non communis vel creatricis gratiæ dona, sed prævenientis gratiæ incentamenta fuerint. Quamquam verò hanc gratiam misericordiam quædam in CHRISTO vocari haud abnuant, non tamen gratiam illam directè ad conversionem ducere ac salutiferam esse admittunt, sed talem esse docent, quam DEUS respectu ad meritum CHRISTI quibusdam Gentilibus hoc sine præstet, ut meriti illius ad salutem fiant participes; nec

nec eam donis & lumini naturæ assignant, sed ab eo potius distinguunt, & (quod præprimis notandum) è lectione rerum sacrarum vel institutione de illis profectam asserunt. Quemadmodum Augustinus l. IIX. de Civit. DEI c. XI. Platonem, etsi non usus fuerit Prophetæ Jeremia orali institutione (quod alii contenderunt,) nõ nisi ex Sacris literis aut earum expositione per alios ista hausisse, quæ de unius DEI cultu præscripsit, statuit, & in Epistolâ ad Ctesiphontem de continentia Polemonis disferens, negat sola naturali potentia eum tantam excellentiam allecutum esse, sed ex Xenocratis informatione, hunc autem literis Aegyptiorum & Chaldaeorum dedisse operam; adeoque ex institutione rerum sacrarum multa habuisse. Et sanè haud negandum ducimus, quin potius in aperta luce positum existimamus, multa Gentiles habuisse è fama & revelatione Ecclesiæ vel studio & evolutione librorum de vera religione Scriptorum, vel informatione & institutione aliorum, quæ è solo naturæ lumine nullatenus hauriri poterint, uti documento sunt mysteria
quæ-

Unde gē-
tiles non-
nulli ad
tantam
rer. Sa-
crar. no-
titiã per-
venerint?

quædam fidei à ratione profus abscon-
dita ipsis non omninò incognita. Si
etiam donum illud & beneficium divi-
num, quod isti præ aliis ea legere, co-
gnoscere & haurire potuerint, gratia sin-
gularis, supernaturalis, & prævenientis e-
logio *ὡς ἐν πλάτει* quis vestire velit,
non admodum refragamur. prævenien-
tem tamen gratiam propriè ita dictam,
alii malunt potius auxiliis DEI accen-
sere propriis illis, qui Evangelii revela-
tione gaudent, quum illa gratia, quæ Phi-
losophis tribui potest Gentilibus, non
conferat fidem vel salutem ipsam, sed
ducat homines saltem ad Evangelium;
secus atque nonnulli ex Arminianis do-
cere videntur, contendentes, per præve-
nientem gratiam aliquos salvari sine de-
ductione ad Ecclesiam. Videatur
Venator in Replica ad confutationem
Ministorum Dordrac. p. 125. A quibus
tamen quoad antenus dissentit *Corvinus*
c. Tilenum p. 48. protestans, gratiam il-
lam non esse regenerantem sed ad regene-
rationem disponentem. Quocircà ut illis,
qui cognitioni naturali nimiùm tri-
buunt, occurratur, hæc observanda sunt
Theoremata:

I. *Una eademq; saltem est post lapsum salutis consequenda ratio.* Probat-
 tur id (1). è disertis testimoniis; quia
 Scriptura generaliter & universim dis-
 serit de salute consequenda, ita, ut
 nulla alia via ad salutem pateat, omni-
 bus una eademq; salutis consequen-
 da ratio proposita sit: nimirum per
CHRISTUM Filium DEI Dominum,
 & *Salvatorum nostrum unicum,* & *fidem*
in Christum Job III. 16. seqq. c. XIV. 6.
Act. XV. 11. Rom. III. 9. seq. &c. (2) per
invictam consequentiam, quia repara-
 tio salutis respectu omnium hominum
 citrà distinctionem vel exceptionem
 non est nisi unica; ut omnes homines
 ob peccatum morti obnoxii sint, sine
 exceptione, ita nemo liberatur à pec-
 cato, nisi per Christum, qui solus est
 propitiatio pro peccatis totius Mundi
I. Job. II. 2. Nemo peccatorum remis-
 sionem consequitur nisi per fidem in
 Christum, extrà quem non sumus sub
 gratia sed sub irà, teste tota Scriptu-
 ra.

II. *Per Solam legem nature nemo ad salutem pervenire potest.* Ratio est
 (1) quia ne per legem quidem Mosai-
 cam

nam homo ad salutem perducipotest
Gal. III, 21. 22. Rom. VIII. 3. sed è lege
tantum est execratio *Deut. XXVII.*
ult. multò ergò minùs per solam na-
tura legem homo ad salutem perve-
nire poterit. (2) quia ad salutem ne-
cessariò requiritur fides in Christum
eaqve non *implicita* saltem, sed *expli-*
cita Marc. XVI. 16. Johan. III. 18. & 35.
Rom. III. 24. Ebr. XI. 6. Ea autem non
haberi potest *ex lege natura.* (3) quia re-
quiritur *cognitio Messie ad justificatio-*
nem & vitam aeternam. Es. LIII. 11. Joh.
XVII. 3. Jer. XXIII. 6. Act. IV. 12. 1. Cor. I.
30. at extra Evangelium per solam natu-
ra legem non constare potest illa noti-
tia, ut apud plerosq; in confessò est.

III *Vera & salvifica fides non*
habetur extra & citra Evangelium. Non
autem hic excludimus *Baptismum*, sed
includimus, quia *Baptismus* est lava-
crum aquæ in verbo *Eph. V. 26.* puta in
verbo *Evangelii.* Ratio Theorematis
est (1) quia *solum Evangelium* propo-
nit ea, quæ ad salutem creditu suffi-
ciant. *Evangelium & fides* relata sunt,
mutuoqve sese respiciunt, in *Evange-*
lio relevatur *objectum proprium fidei*

Notanda
hec quoq;
cõtra Ca-
rec *hixings.*

nec extrà Evangelium haberi potest
 ejus cognitio, ideoqve nec fides, ut po-
 te quæ infert *γνώσιν* & cognitionem.
Evangelium solum exhibet nobis Chri-
 stum, in quem nobis credendum est
 & in quo unicè vitam habemus æter-
 nam 1. *Joh. V. 11. 12.* Extra Evangelii
 revelationem notitia Christi non ha-
 betur. *Matth. XI. 27. c. XVI. 17. Rom.*
XVI. 25. 1. Cor. II. 7. Col. I. 26. (2) Quid
 Evangelium est medium Fidei gene-
 randæ divinitùs ordinatum potentia
 DEI ad salutem omni credenti *Rom. I.*
16. per Verbum Evangelii gignitur fi-
 des *Rom. X. 17.*

IV. *Gentiles verbi revelatione desti-
 tuti fide quòq; destituti fuere salvifica.*
 Relinquitur id ex prioribus, quia fi-
 des illa non habetur extrà revelatio-
 nem verbi DEI. Nec est quod dicant
immediatè & extraordinariè Deum illis
potuisse fidem conferre sine verbi revela-
tione.

Nam (1) non quid Deus possit
 sed quid velit in negotio salutis vi-
 dendum. (2) *Extraordinariè quosdam*
 ad fidem & salutem perductos esse non
 diffitemur, non tamen *immediatè sine*
verbo

Verbo sed per verbum. (3) Gentilibus
extraordinariè fidem obtigisse faciliùs
dicitur quàm probatur. Unde enim
id constat. (4) DEUS salutem voluit
dispensatam per certa media, *Verbum*
& *Sacramenta*, ideoqve Gentiles ad ver-
bi præconium advocatos voluit, ut non
immediatè, sed mediatè ad salutem per-
ducerentur. Unde colligere est,
mediis illis destitutos, juxta ordinem
divinitùs institutum, minimè perdu-
ctos fuisse ad salutem. Recessus verò
ab ordine in gratiam Gentilium fa-
ctus nunquam è Verbo DEI probabi-
tur. (5) *Extraordinaria gratia* nus-
quam Gentilibus verbi revelatione de-
stitutis promissa est. De gratia autem
DEI è verbo *promissionis* judicandum
unicè. (6) Urgemus sententiam A-
postoli. *Quomodo credent, de quo non*
audivère, quomodo audient sine prædican-
te. Rom. X. 14: ubi pro absurdo habetur,
credi sine præconio verbi (7) Urge-
mus insuper axioma Theologicum:
Extra Ecclesiam non est salus. Genti-
les autem revelatione verbi destituti
non solum, extrà Ecclesiam fuerunt
corpore, sed & animo, non solum exter-

100 De dist. Theol. in Nat. & Supern.
nae societatis, sed & interna communionis
fidei respectu, ideoq; nullam eis salutem
polliceri possumus. Deducendi quidem
erant ad Ecclesiam per naturæ lumen &
famam de Ecclesia, sed qui ad Ecclesiam
deducti non fuerunt, sed in Gentilismo
perstiterunt, illi nec fidem, nec per
fidem salutem obtinere potuerunt, quæ
unicè dispensatur in Ecclesiâ. (8) de
immediata fidei donatione, quæ quor
dam adultis obtigerit, altum in Scri
pturis silentium; Extra Scripturam eam
definire temerarium (9) Exempla quæ
adducantur Gentilium, rudem tantum
& vagam notitiam illos per famam ha
buisse de rebus quibusdam fidei, non
autem certam, vivam & salvificam fidem
docent. Ideoq; ἡδὲν πρὸς δίκυον

Sed hæc de Theologia natura
li impresentia
rum.



CAPUT V.

De

Distinctione Theologiæ re-
velatæ in immediatè revela-
tam, & mediatè, aliisq; no-
minalibus distinctio-
nibus.

§. I.

Theologia supernaturalis alia *Theolog.*
est immediatæ inspirationis, *supernat.*
alia mediatæ institutionis. Illa *distinctio.*
est, quæ per *θεοπνευσία* & imme-
diatum Spiritus S. afflatum, vel
irradiationem obtinetur, hæc quæ
è Verbo DEI patefacto addisci-
tur.

Illa instructi fuere *Prophetae* in *1. Imme-*
Vet. & Evangelistæ, ut & *Apostoli* in *diatæ in-*
Nov. Testamento, qui agitati à Spiritu *spiratio-*
Sancto locuti sunt verbumq; *θεο-*
πνευστου scriptis consignarunt: *Hæc*
è verbo *Prophetarum & Apostolorum*
monumentis consignato hauritur.

Illa dici potest *Theologia infusa*, hæc
 est *acqvisita*. *Alstedio* quidem *infu-*
sa *Theologia* dicitur *quævis cognitio*
salvifica in quibusvis credentibus, quam
quoad salutarem intelligentiam à solo
interno lumine Spiritus S. manare di-
cit l. I. Præcogn. Theol. cap. 28. ut *acqvi-*
sitam indigitat *notitiam conclusionum*
ex principiis Theologicis per discursum
Syllogisticum collectarum, qualem Dæ-
monibus & reprobis etiam tribuit, quos
tamen non nisi æquivocè valdè Theolo-
gos appellari ait. Verùm commo-
 dius *Theologia infusa* dicitur *doctrina*
 vel *cognitio rerum divinarum immédia-*
tè indita Prophetis & Apostolis, acqvisi-
ta verò quæ ordinariis mediis acqvi-
tur; utut ad hanc etiam illuminationem
divinam, si salutaris esse debeat, requi-
ri non diffiteamur; verùm non ἀμε-
σouv & immediatam, ut cum Swencfel-
dianis & Enthusiastis somniare videtur
Alstedius, sed ἐπιμεσouv & mediatam per
verbum ceu ordinarium illuminationis
medium factam. Principium Theologiæ
infusæ est Verbum D E I, quod non
uno modo patefactum fuit Viris θεο-
πνεύσοις, quemadmodum de variis re-
 vcla.

Princi-
 piū ejus.

velationibus passim legimus in Sacris; *πολυτρόπως* quippe DEUS locutus est ad Patres Ebr. I. 1. *Aliæ revelationes fuerunt extraordinariæ, alæ ordinariæ: hæ fiebant tum per verbum DEI, tum per Urim & Thumim. Verbum DEI erat tum externum, tum internum ad Viros DEI factum per sensibilem aut etiam imaginariam representationem, ex qua conceptus nascebantur, aut per cognitionis infusionem vel irradiationem, quæ neque à sensu, neque ab imaginatione originem ducebat, sed immediate oriebatur per lumen intellectui affusum, per species intellectuales de novo inditas, aut præexistentes etiam, sed divina virtute ad aliquam mentis conceptionem formandam adhibitas vel applicatas. Manifestationem per Urim & Thumim alii ad internam illuminationem referunt, alii ad vocis externæ perceptionem, alii ad visionem in pectorali Pontificis. Extraordinaria revelatio variis fiebat modis, quorum plerique recensentur Num. XII. 6. ubi alia revelatio Mosis vindicatur ceu propria & singularis, quæ dicitur affectus & amica conversationis ab ore ad os: Alia*

Revelationes variæ.

de Urim & Thumim.

Extraordinaræ revelat:

introducitur *communis*, quæ distinguitur potest tum *subjecti*, tum *modi* respectu. *Subjecti* ratione ita distinguitur, quod *alia* fuerit *vigilantium*, *alia* *dormientium*, *ista* per *visionem*, hæc per *somnium* facta est. *Illud* dici potest *ὄρασις*, hæc plerumque vocatur *ὄραμα*. *Conf. Luc. I. 22. Act. XXVI. 19. ut & Act. X. 17. & 19. c. XI. 5. c. XVI. 19.* *Visio* rursus fuit *alia externa*, qualis v. gr. erat *ardentis rubi* Ex. III. *alia interna*, cum mens ipsa vidit objectum *Propheticum* celesti lumine repræsentatum. *Modi* autem respectu *manifestatio* vel *Symbolica* vel *aperta* est, *illa* fiebat tum per rerum imagines in figura s. idea, tum per ænigmata, *ibi* eadē quæ videbantur, hinc *alia* quam quæ videbantur significata sunt. *Hæc* a facta est *perspicua* & *evidenti* voluntatis *divinæ* significatione sine *Symbolis*, *figuris*, vel *ænigmatibus*. *Rabbini* distinguunt *revelationē* per *Prophetiam* factā à *revelatione* facta per *Spir. S.* unde *libros* *Biblicos* מִן הַכְּתוּבִים dictos volunt per *Spiritum S.* & non per *Prophetiam* dictatos, ut observat *R. David Kimchi* in *proemio* *Psalmorum*. *Quam* *distinctionē* explicat *Laurent. Fabricius* in *partitionibus* *Cod. Ebr. c. 12.* quod *Spiritū S.* vo-

cent, quando Spiritus hominē vigilantē invadit eumq; ad vaticinandū impellit. Prophetiam verò, quā homini dormienti, vel extra se raptō per Spiritum aliquid revelatur: Alii Prophetiam à Spiritu S. ita distinguunt, quod Prophetæ in *ἐκστασει* à communi hominum statu & sensibus remoti vel per *somnium*, vel per *visionē*, vel per *auditum* vocis divinæ sibi loquentis eloquia divina protulerint, Spiritus S. verò intelligatur cū absq; sensuum mutatione homines excitati fuerint ad loquendū vel psallendū V. *Helvicus* in Tr: de Chaldaicis paraphrasibus c. 2. Alii cum *Augustino Steucho* Prophetiarum & Propheticarū revelationū quinque assignant genera ē *Num. XII. 6. 7.*

1. *בְּמַדְבָּרָה* per *visionem*, cum rem in visionibus revelatā intuiti sunt Prophetæ.
2. *בְּחִלּוּם* in *somnio*, quod contigit dormientibus objectis internis visionibus.
3. *בְּחִידוּתָהּ* in *enigmatibus*, cū aliud videbatur aliud innuebatur.
4. *בְּתַמְנָהּ* in *figurā* vel *ideā*, cū rerū imagines exhibebātur.
5. *פֶּה-אֶל-פֶּה* ab ore ad os, qui erat præstantissimus modus, & Mofi suo tēpore proprius, quo cum DEUS veluti *amicus cum amico* familiariter conversatus colloquebatur.

Ceterum præter hos revelatio-
 nis modos occurrunt & alii; utpote
 per *inspirationem* & *afflatum Spiritus S.*
 per *ὄρασιον* vel *apparitionem DEI*
in specie visibili, per *externam vocem*
sive cum, sive etiam *absq;* *apparitione*
factam, in aëre formatam & auditam,
 per *Angelorum ministerium* & *allogvia*
verbis in ore Prophetæ positis; *volun-*
tate divina per sortilegium significata, &
 quæ hujus generis alia sunt. *Loque-*
la autem ipsa DEI non incommodè
videtur distingui in internam & exter-
nam. Interna facta est vel per Verbi
DEI inscriptionem, vel per *aliam vo-*
luntatis DEI expressionem sive conce-
ptuum immediate res exhibentium, sive
symbolorum mediatè significantium; quæ
 distinctionis causa *notiones primæ &*
secundæ dici queunt. *Interiori repræ-*
sentatione tum in vigiliis tum in so-
mmo peracta. *Externa loquela seu*
externū Dei verbum est, quod tum viva
voce prolatum fuit, tum *in literas re-*
latum. *Illud vel immediate patefa-*
ctum, quæ *DEUS ipse per se aut visui*
objecit signum aliquod notabile, aut
voce articulatam auditui; vel *me-*
diatè

diatè, puta tum interventu ministerii Angelorum, qui rursus vel vigilantibus apparuerunt vel dormientibus, tum per aliorum hominum ministerium, hoc verò est scriptum DEI verbum vel ipsa Scriptura sacra. Rursus immediatum externum alloquium tum in Veteri Testamento locum habuit, tum in N. Testam. sub exordium ejusdem. Ibi per DEI apparitionem Patriarchis aliisque viris DEI factam, cum scilicet DEUS οικονομικῶς assumpta forma visibili externa iisdem apparuit, eosque allocutus est, quales fuere apparitiones non tantum Mosi, sed & ante Mosem Patriarchis facta, in quibus plerisque Angeli sit mentio ejusque singularis, qui apparuerit, sed Angelus intelligendus est increatus, Angelus faciei DEI EI. LXIII. v. 9. Angelus fœderis Mal. III. v. 1. Angelus in cujus medio est nomen Domini, Exod: XXIII. v. 20. qui que est ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χάριτος τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ Ebr: I. v. 3. seu ipse Filius DEI. Hic verò per manifestationem DEI in carne I. Tim. III. v. 16. per incarnationem verbi seu Filii DEI Joh. I. v. 14. utrobique ab ore ad os locu-

Immediatum externum alloquium Dei in V. & N. T.

Apparit. Filii Dei in V. T. dist. à manifestatione in carne.

locutus est DEUS, sed apparitiones illæ
 in V. T. erant *extraordinarie singulares*,
certis factæ temporibus, paucis tantum
hominibus; erant Symbolicæ & umbræ
viles, assumptâ ad tempus certâ visibi-
li specie; erant tantum quædam prælu-
diâ futuræ apparitionis Filii DEI in
carne, quibus Sapientia DEI lusit in or-
be terrarum ac prælusit suæ incarnationi.
Prov. VIII. v. 31. Hæc autem ordinariæ
communis, factæ in diebus novissimis in
corpore personaliter assumpto, & hypo-
staticè unito cum hypostaseos, natu-
rarum, & idiomatum communicatio-
ne, quod nunquam Filius DEI iterum
deponit in æternum. Porro adhibuit
Filius DEI in Vet. Testam. non tantum
formam humanam, in qua appa-
ruit, sed alias quoque formas visibiles,
partim majestatem divinam, partim
beneficia ejus designantes & repræsen-
tantes, visus in igne, columna nubis ali-
isqve ejusmodi symbolis. Quod ad
internum DEI Verbum, distinguenda or-
mininò manifestatio per Verbum in-
ternum, immediata à mediata. Imme-
diata locum habuit anteqvam canon
Scripturæ Sacræ completus esset, quæ
fiat

fiēbat tūm dormientibus, tūm vigilan-
tibus. Illis per χρηματισμὸν Matth: II.
v. 12. & somniorum immiſſionem, ubi
tamen ſomnia divina θεόπεμπτα ac-
curatē discriminanda à ſomniis natura-
libus, itemq; Diabolicis Vid. Peuc. de di-
vinationum generibus tit: de ſomniis.
Divina ſomnia diſtingvit Alſted: in
Theorematica & Allegorica. Illa ex-
plicatē, diſertē, & verē proponebant,
quæ DEUS revelata voluit, hæc amba-
gibus erant implicata, & figuratē ea
proponebant, quorum explicandorum
ſcientia ſingulare DEI donum fuit,
quale tributum legitur Joſepho Patri-
archæ Gen. XL. & Danieli Propheta c. II.
v. 36. Vigilantibus objiciebatur verbum
DEI internum, tūm per ἐνθουſιασμὸν,
qui vocatur revelatio extra ἔκσταſιν,
cūm DEUS ſingulari inſtinctu homi-
nes ita afflabat, ut intellectus eorum
ſine operatione phantaſiæ voluntatem
ipſius cognoſceret I. Sam. XVI. v. 81.
tūm per ἔκσταſιν, cūm DEUS homi-
nes quaſi extrā ſe rapiebat, & exter-
nis ſenſibus ſopitis eorum mentes
tangebatur rerum ſciendarum imagini-
bus (ſive planis & perſpicuis, ſive figu-
ratis

ratis, & symbolicis, quibus tamen explicandis donum interpretationis divinitus concedebatur) quas illi quasi extra se rapti animo intuebantur. *Ezech. I. v. 8. 9. & 10. 2. Cor. XII. v. 2. seqq.* Huc refert *Tertull. Adamum Gen. II. v. 21. alii Abrahamum Gen. XV. v. 12. Philo Mosem cum quadraginta dies esset in monte Sinai.* Nonnulli etiam *Job: c. IV. v. 12. c. XXXIII. vers. 14.* Distingvenda autem hic iterum diligenter *ἐκστασις divina à naturali & Diabolicâ.* De naturali Phyfici agunt. *Divina* certa, vera ac salutaris est. *Diabolica* aut incerta aut falsa, aut certè exitiosa. *Mediata* verò manifestatio verbi interni fit per *verbum externum* tanquam medium, cum id per Spiritum S. inditur, vel inscribitur cordibus humanis, quod *tum* ante Christum factum per Patriarcharum Prophetarumque ministerium, *tum* post N. Christum per Apostolorum & aliorum Doctorum verbi præconium, & *hic* quidem plenius, distinctius, & per universum totum orbem *V. Es. LV. v. 13. Johan. VI. v. 45. Jer. XXXI. v. 33. Heb. VIII. v. 10. c. X. v. 16. 2. Cor. III. vers. 3.*

Ibi verò minus perfectè atque perspicuè
& ordinariè solum in populo DEI;
Psal CXLVII. v. 19. proinde institutio
mediata facta est, tum per virorum
θεοπνευστων vivam vocè, tum per eorun-
dem scripta θεοπνευστα, quæ, prouti
quidem Canoni Ecclesiæ destinata sunt
divinitus, nomine Scripturæ Sacræ καὶ
ἀποστολικῶν veniunt. Paucis e-
nim quibusdam DEUS sese revelavit
immediatè seu per *internam manifestā-*
tionem, sive per *loquelam externam*,
aut etiam per *Angelorum alloquia*, ut
per illos paucos reliquam doceret Ec-
clesiam, *partim* dum illi divinitus re-
revelata viva voce proponebant, *par-*
tim dum ea divino impulsu in scri-
pturam redigebant in informatio-
nem Ecclesiæ illius, & subsequenti tem-
poris, quæ ordinariè informata fuit,
non immediatâ sed *mediatâ institutio-*
ne, & quidem per homines ad id di-
vinitus selectos & vocatos, sive *imme-*
diatè sive *mediatè*. Patriarcharum
quidem tempore tum ante diluvium
tum post diluvium usque ad Moysen Ec-
clesiam DEUS docuit verbo non scri-
pto per annos circiter 2454, ubi
Pa-

Patriarchæ præsertim ante Diluviū admodum erant μακρόβιοι, qui αὐτο-
προσώπως audierant, aliosq̄ve de ver-
bo DEI sibi patefacto informare po-
terant. At postmodum conjunctum
fuit cum verbo non scripto verbum
scriptum, & viguit tamen adhuc in
populo DEI immediata informatio
Prophetarum unâ cum mediata in-
stitutione Ecclesiæ, πολυτρόπως sese
DEO manifestante Ebr. I. v. I. donec
in plenitudine temporis DEUS per Fi-
lium suum in carne patefactum popu-
lum suum alloqueretur, ut & per Apo-
stolos, quo à CHRISTO immediatè in-
formati, nec nō per immediatum Spiri-
tus S. visibiliter super ipsos effusi af-
flatum & instinctum edocti, τὴν vivæ
vocis præconio, τὴν scriptis suis θεο-
πνεύσεσι totum orbem informarunt,
canonemq̄ve sacrarum literarum com-
pleverunt; unde cessârunt postmodum
in Ecclesia immediatæ revelationes do-
cente nos DEO ordinariè solū per
verbum Prophetarum & Apostolorum
monumentis comprehensum.

Quod enim DEUS Ecclesiam suam
de rebus fidei, cognitu ad salutem ne-
cessa-

Cæsariis post absolutum canonem Propheticum & Apostolicum non amplius docere voluerit per *immediatam* revelationem, vel etiam per *visiones*, *somnia*, *apparitiones Angelicas*, & id genus alia, quemadmodum *scimmiant* *Enthusiastæ*, *Paracelsistæ*, *Weigeliani*, *novelli Prophetæ*, qui sese *θεοκόδοις* & *θεοδιδάκταις* falso nominant; *aliique fanatici nuperi*, argumento est.

Deum nos non amplius immediatè informāre.

I. *Promissi divini solidæque probationis è verbo DEI defectus*, cum nusquam hanc informationem Ecclesiæ modernæ promiserit DEUS, nec apex de illa in Verbo DEI habeatur. De voluntate autem DEI certinon redimur nisi è verbo DEI.

Quod (1) ad promissionem *Jer. XXXI. vers. 30.* factam, sermo ibi est non de *immediata* verbi inspiratione, sed de *Evangelii promulgatione*, ut manifestum ex *Ebr. VIII. v. 6.* diciturque lex in corda inscribenda non per revelationem *ἀπεσον*, sed *mediatè* verbo DEI scripto, ac inauitur differentia legis & Evangelii, quæ lex in tabulis scripta corda penetrare non potest

Jeremi. XXXI, 30.

salutari modò, Evangelium potest *i. Corinth. III. v. 3. Rom. I. v. 16.* aliud autem est corda penetrare, aliud immediate cordibus inspirari. Deniqve verbis illis: *non docebit vir proximum*, haud negatur *absolutè* institutio per Ministerium verbi, quæ fit è Scriptura Sacra, alioquin nec Apostoli docere debuissent tempore Nov. Testam: *sed comparatè* ea accipienda sunt in *συνηγορίαι* ad tempora Veteris Testamenti, ut innuat *tum* universalis Evangelii prædicationis, *tum* perfectio & facilius DEI cognitio tempore Novi Testamenti, quod ea sit futura DEI manifestatio (sed non absque verbo Prophetico & Apostolico) ut videri possit, non amplius opus esse institutione, vel ut alii explicant, quod Judæi non amplius docturi sunt gentiles, quorum Magistri erant in V. T. sed omnes pariter à DEO docti futuri sunt.

Joël. II.
28.

Quod (2) ad *Joël. c. II. v. 28.* agitur illic de effusione Spiritus S. super Apostolos teste Petro *Act. II. v. 15.* ideoq; *perperam* ad alios trahitur. Adde quod *somnia & visiones* notent uberiorem

DEI

DEI cognitionem, ut ut è præconio externo perceptam & è Scripturis haustam more *Prophetis* usitato, qui solent statum N. T. nonnuivq̄ figuratis, aut statui V. T. convenientibus designare.

Quod (3) ad *Joh. XIV. v. 25.* Spiritus docebit omnia, id & promissum Apostolis & in iis cōpletum *Act. I. v. 4. c. II. v. 4. & 10.* nunc autem docet quidem Spiritus orantia, sed non immediatè, venum *mediate*, verbo Prophetico & Apostolico.

Joh XIV.
25.

Quod deniq̄; (4) *1. Joh. II. v. 27.* *Utr- Etio docet omnia*, id est, *Spiritus S.* Quæstio est, num *αμέσως* id fiat? Id verò hîc non innuitur, adeoq̄; *mediata informatio*, quæ fit per doctrinam Apostolicam, intelligi potest ea, quæ omninò intelligitur. Conf. *c. I. v. 2. c. II. v. 1. & 7. & 8. c. III. v. 12. c. XV. v. 13.* Cum ergò nullis promissionibus, nullo fundamento nitatur illa *immediata informatio Enthusiastarum*, utiq̄; nullum etiã meretur assensum.

1. Joh. II.
27.

2. Si DEUS per immediatam revelationem post absolutum canonem Scripturæ docere nos voluisset; utriq̄ve non remisisset, & adstrinxisset nos unice & in solidum ad canonem

Scripturæ, non prohibuisset quicquam ei addere, vel aliud Evangelium acceptare, si vel Angelus de Cœlo aliud prædicaret. At remisit & adstrictos nos unicè voluit ad Scripturæ canonem. *Es. VIII. v. 20. Luc. XVI. v. 29. Job I. v. 39. 1. Tim. III. v. 15. seqq. 1. Pet. I. v. 19.* prohibuit ei quicquam adjicere. *Deut. IV. v. 2. c. XII. v. 28. Apoc. XXII. v. 18.* aliud Evangelium acceptare. *Gal. I. v. 8.*

3. Si omnia creditu necessaria in Scripturis continentur, nec quicquam nunc credendum est fide divinâ, quod in Scriptura traditum non est, utique immediatæ revelationes de rebus fidei admittendæ non sunt. At verum est prius *2. Tim. III. 15. 16. Job. XX. 31. 1. Cor. IV. 6. E.* & posterius.

4. Si ultimè ac novissimè Deus locutus est per Prophetas & Apostolos, ejus non est nova hodie expectanda revelatio immediata. At verum prius *Heb. I. v. 1. E.* & posterius.

5. Revelationes immediatæ modernæ maximè fallaces sunt, tum ob Diaboli calliditatem, qui se in Angelum lucis transformat. *2. Cor. XI.*

¶ 4. tūm ob hominum varietatem, qui extra DEI verbum ἐνθουσιασμός de rebus fidei captantes deceptionibus facile obnoxii sunt.

6. Revelationes Enthusiatarum non possunt per ullum certum & immotum documentum sese reddere, ἀξιόπιστος, & divinitatem suam testari. At revelationes, quæ verè divinæ sunt, id omninò possunt, indeq; etiam fidem impetrarunt, quod confirmatæ sūt indubitatis documentis miraculis & aliis præsentis DEI testimoniis infallibilibus. Proinde non sunt verè divinæ revelationes, quæ hodiè jactantur ab Enthusiastis. *Sed hæc de illis.*

VI. Sunt & aliæ distinctiones *Distinct.* Theologiæ nominales, sed ex *Theolog.* vel ad hæc revocari possunt, *aliæ.* vel à modo tractandi, aliisque merè accidentalibus, de quibus aliàs commodius, desumptæ sunt.

Ita *Theologia* dicitur alia *Ordinaria*, alia *Extraordinaria*. Illa quæ per media ordinaria acquiritur; Hæc quæ

divinitus sine ordinariis mediis conceditur. Quæ distinctio ad præcedentem commodè refertur.


Distingvitur item *Theologia* in *Catechetica* & *Diexodiam*; *Illa* Tyro-
num & initiatorum, *hæc* confirmato-
rum est. *Illa* Elementalîs quoque di-
citur, quâ fidei Elementa & rudimen-
ta traduntur & occupatur potissimum
in jaciendis doctrinæ Christianæ fun-
damentis. De quâ vid. Ebr: VI. 2. *Conf.*
Spanhem: dub: *Evangel:* part. 3. n.
XXVII. p. 95. *Hæc* in firmandis iisdem,
nec non in iis, quæ superstruuntur.
Illa non adeò exquisitâ methodò pro-
poni consuevit; *hæc* accuratiori & ex-
quisitiori tradenda, *illa* succinctè &
compendiosè, *hæc* prolixè & diffusè
proponitur, adeoq; distingvuntur sub-
jectò, objecto & modò. *Hæc* autem ite-
rum varia, & vel $\gamma\omega\sigma\tau\upsilon$ magis respicit
vel $\pi\alpha\delta\epsilon\upsilon$. Ad $\pi\alpha\delta\epsilon\upsilon$ spectat parti-
tim *Theologia* popularis, & Homiletica,
quæ futuros Ecclesiæ Ministros
potissimum informat; partim *Theologia*
Consistorialis & *Casualis*, quæ vario-
incidentes casus, & cum primis *Casu*
Conscientiæ Theologicè enodat. Ad

Scholâ informat. 4. *Casualem*,
 quæ in *Ecclesiâ* Christianum confir-
 matum communiter instruit. 5. *Pro-*
pheticam, quæ in specie *Doctorem*,
Ecclesiâ. Et 6. *Acroamaticam*, quæ
 auditorem in *Ecclesiâ* informat lib. 1.
 præcognit. Theolog. cap. 18. Quæ qui-
 dem distinctio tolerari posset, ut No-
 minalis Theologiæ distinctio, at
 quum proponatur ab Alstedio, ceu
distributio & partitio Theologiæ, pro-
 bari nequit. Partes quippè non
 conveniunt cum toto, nec inter se sa-
 tis distinguuntur. Totum oportet
 esse Theologiam *revelatam*, quæ di-
 stinguatur utiqve à *Naturali* Theolo-
 giâ. Quæ verò in *Scholasticâ* Theo-
 logiâ traduntur, non sunt diversa ab
 his, quæ in *Catechetica*, quantum ad
 materiam, sed tantum *quoad modum*
tractandi, ut fatetur ipse Alstedius.
 Non ergò illæ distinctas partes con-
 stituunt *materiales*, ut ita loquar, Theo-
 logiæ. Rursus, quæ in *Ecclesiâ* tra-
 duntur, ab his, quæ in *Scholâ* modo
 solum tradendi distingvi, haud ne-
 gat Alstedius. Denique docere, quo
 modo res divinas tractare debeat Do-
 ctor.

γνώσει respicit potissimum *Theologia*.

1. *Ἐξηγητική*, quæ & Prophetica dicitur circa Scripturæ interpretationem occupata. 2. *Διδακτική*, circa capitum præcipuorum Scripturæ tractationem methodicam, quæ rursus pro modo tradendi, vel est *πολεμική*, καὶ *συρρακτική* controversias proponens *κατασκευαστικῶς*, καὶ *ἀνασκευαστικῶς*; vel est *Συστηματική* Locos communes THEOLOGICOS pertractans. Distingvi etiam potest THEOLOGIA ratione *modi tractandi* in *Scholasticam & Positivam*. In hac tantum *θετικῶς* proponuntur capita fidei, in illa autem more Scholastico & Disputatorio quæstiones Theologicæ variæ discutuntur. Sed de his alibi plenius. *Alstedius* Theologiam distingvit ratione *Subiecti*, eâq; sextuplicem facit. 1. *Naturalem*, quæ hominem quæ hominem informat. 2. *Catecheti- cam*, quæ hominem Christianum in-
ducit. 3. *Scholasticam*, quæ ho-
minem Christianum confirmatum in

ctor Ecclesiæ, nec constituit peculiarem Theologiam, nec partem aliquam principalem, sed pertinet ad articulum de *Ministerio Ecclesiæ*; docere, quomodo Christianus *auditor* in Ecclesiâ occupari debeat circa res divinas, longè minus peculiarem absolvit Theologiam, aut partem etiam principalem Theologiæ, ut alia quæ minus in his Alstedianis decorata occurrunt taceamus.



cognitione absq; supernaturali & revelata ad eundē adspirare nequeat. *Homo ordinatur ad Deum*, inquit Thom. part. 1. quæst. 1. *sicut ad quendam finem, qui comprehensionē rationis excedit. Finem autem oportet esse præcognitū iis, qui suas intentiones & actiones ordinare debēt in finem.* Quod ita explicant alii, cum genus humanū ad celebrationē & cognitionem Dei sit conditum, neq; tamē agnosci & coli DEUS possit sine sui & voluntatis suæ patefactione, necesse fuit ab ipso Deo ostendi, quod de se credi, & quomodo coli vellent. Idem ē *sine ultimo coligendum, fruitione Dei & salute aeterna*, ad quam homo perducendus. Cū enim homo viā ad salutē ignoret citra divinā revelationem, necessum omninō fuit, ut illa eidem manifestaretur divinitus. Vid. *1. Cor. II. v. 9 seqq. Job. XVII. v. 3.*

2. *E causa efficiente in actu posita, divina revelatione.* Si n. præter generalem patefactionē in natura Deus sese revelavit *supernaturali & speciali ratione*, ut puta in verbo suo, nullū est dubiū, quin hauriri possit notitia aliqua de Deo supernaturalis ex ista revelatione. At verum est prius. E. & posterius.

CAPUT VI.
DE EXISTENTIA
THEOLOGICÆ.

§. I.

Dari Theologiam revelatam probatur. 1. E fine hominis. *Argumēta* 2. è revelatione divina. 3. Ex in-
Existēt. ductione objectorum, quæ divi-
Theolog. nitus revelata sunt. 4. Exemplis eorum, qui hac cognitione præditi fuerunt.

De *Existētia Theologiæ Supernaturalis & Revelatæ* bifariam quæritur 1. *absolutè*; An detur ejusmodi revelatio supernaturalis Theologiæ, vel cognitio de DEO, rebusq; divinis. *Modificatè*, an Theologia sit ceu distincta quædam disciplina habenda & tradenda. Dari *Theologiam* ostendimus 1. è *sine hominis*, quia homo ad finem, ad quem à DEO ordinatus est, adspirare & perducere non potest sine revelata Theologia. Aut ergò finem illum nullus hominum consequitur, aut si consequi debeat, necessum est, *revelatam Theologiam* dari, cum solâ naturali Dei
cogni-

3. *E causa materiali vel objecto Theologiae revelatae.* Multa enim dantur, quæ per naturam cognosci nequeunt, & verè tamen cognoscuntur de DEO & rebus divinis, quarum cognitio non nisi divinæ revelationi adscribi debet. Proinde datur omninò THEOLOGIA quædam revelata: *Antecedens* constat inductione articulorum *Fidei, de Trinitate, Christo, Prædestinatione, Justificatione &c.*

4. *Ab exemplis THEOLOGORUM.* Concreto posito abstractum, posito subjecto denominato, forma denominans non potest non poni. At plurimi extiterunt inde ab orbe Christiani Theologi cognitione illa supernaturali DEI & rerum divinarum imbuti & Theologiâ instructi tum in Vet. tum in N. T. Illorum alii tempore *potestatis patriæ* floruerunt ab Adamo usque ad Moysen, recensenturque hi præcipuè: *Adam, Seth, Enos, Enoch, Noa, Sem, Eber, Abraham, Isaac, Jacob, Job, Joseph.* Alii tempore *potestatis judicariæ* à Moysen usque ad Saulem, utpote *Moses, Aaron, Sacerdotes, ut & Prophetæ extraordinariè divinitus excitati,*
 quo-

quorum princeps fuerat *Samuel Aëtor*.
 III. 24. Alii tempore *potestatis Regiæ*
 à Saul usq; ad *Esdram*, utpote *David*,
Nathan, *Elias*, *Eliseus*, *Propheta*, quorum
 scripta canoni *Biblico Vet. Testam.*
 inserta sub *titulò majorum & minorum*
Prophetarum, aliique *Prophetae & Sa-*
cerdotes. Alii denique tempore *po-*
testatis Sacerdotalis ab *Esdra* usque ad
Aristobulum, à quo tempore magis
 magisq; obscurata est *Theologia re-*
velata usque ad *CHRISTUM*, ob *Pha-*
riseorum, *Saduceorum*, & *Esseorum*
 sectas in *populo DEI* exortas, utpote
Esdra, *Jaddus*, *Onias*, *Simon Eleazar*,
Matathias, *Judas Maccabeus* aliique
Nov. Testam. Theologi; alii in *primi-*
tivâ floruerunt Ecclesia, utpote *Apo-*
stoli & discipuli CHRISTI; nec non
Patres antiquiores priorum seculo-
rum sinceri & orthodoxi; alii in *in-*
termedia variis erroribus jam detur-
bata: alii deniq; in *novissimè repur-*
gatâ, ut *Neoterici orthodoxi Theo-*
logi, de quorum serie alias.

Cæterum negant *Theologiam*
 revelatam i. *Athei*, qui *DEUM* esse
 inficiantur; & ita *Theologiam* quoque
 omnem

omnem tollunt. 2. *Pagani*, qui Verbum DEI revelatum haud admittunt, ideoque nec revelatam Theologiam agnoscunt, quæ unice habetur è verbo revelato. 3. *Libertini* nostri temporis, quos recenset *Waleus*, utpote *David Georgius*, *Henricus Nicolai* &c. quod inficientur DEUM verbo externo docere, solumque internum Spiritus instinctum admittant. Unde consequitur non esse opus Theologiam, quæ de nunc agimus. Verum contra *illos* ex professo agitur in Articulo de DEO. Contra *istos* & *hos* in articulo de Scriptura Sacra. Proinde opus non est, ut hic moremur.

Theolog.
distincta
est disci-
plina.

§. II. Theologiam revelatam distinctam constituere disciplinam ex objecto proprio & distincto manifestum est, nec non è fine maxime diverso, à quarumvis aliarum disciplinarum fine. Cum porrò disquiritur, utrum Theologia tanquam distincta disciplina tradenda sit, 2. hic involvuntur.

1. Distin-

1. *Distinctio Theologiae ab aliis disciplinis.*

2. *Unitas disciplinae Theologiae.* Quo ad primum, è Gnostologicis constat, disciplinam esse medium reconcondendi τὸ γνωστὸν seu scibile ac propagandi ejusdem cognitionem accuratiorē, datoqve objecto distincto disciplinari assignandam esse distinctam disciplinam, ut distincta distinctè cognoscantur & tradantur. In *Practicis* deniqve disciplinis è finium distinctione concludi posse ac debere distinctionem disciplinarum. His ceu ἀξιώμασι suppositis facilè patet, *Theologiam Revelatam distinctam absolovere & constituere disciplinam à quavis Philosophica & aliarum facultatum disciplinis maximè diversam.* Idqve argumentò geminò: 1. *ab objecto proprio*; sive enim *objectum speciale operationis* Theologiae respiciamus, distingvitur id omninò à reliquarum disciplinarum objectis. *Illud* est omne quicquid cognosci potest de Deo rebusq; divinis, quâ revelatū est divinitus, quod certè in nullâ aliâ disciplina

plina locum habet, quippe quod reliquæ disciplinæ ea tantum confiderent, ad quæ humana ratio pertingere potest, & expertes prorsus sint divina revelationis? Licet & de DEO agatur etiam in *Pneumaticis*, non tamen sub hac formali consideratione, quâ revelatus est in *Scripturis*, sed quâ lumine nature cognosci potest. Hoc verò obiectum scilicet speciale Theologiæ revelatæ homo est, quâ perducendus ad eternam vitam ac salutem, quod utiqve distinguitur ratione formalis à quibusvis aliis disciplinis, etsi materialis ratione commune sit cum *Physica*, *Medicina* & *Philosophia Practicâ*, quia illic homo quâ corpus naturale spectatur, *isthic*, quâ corporis humani sanitas curatur; *hic* quâ deducendus est homo ad eudæmoniam animi, quæ ad hanc vitam spectat; sine ullo respectu ad vitam alteram.

2. *A fine distincto.* Cùm enim Theologia sit disciplina Practica, distinctio ejusdem è fine æstimanda venit distincto. At à quibusvis Practicis disciplinis obtinet finem prorsus distinctum, tùm internum, spiritualem scilicet

animæ medicationem, tum *externam beatitudinem* & *salutem hominis cælestem ac æternam*, vel *beatam Dei fruitionem*, de quo utroq; in aliis disciplinis ne quidem constat quicquam, tantum abest, ut hunc sibi finem ulla vindicare possit. Ideoq; oportet distinctam tradi disciplinam, quæ hunc finem obtineat, & de mediis ad eundem adspirandi, eumq; consequendi præcipiat. Si enim finis ille ab homine obtineri potest per certa media, necessum est ob distinctam cognitionem distinctam assignare disciplinam, quæ de eodem obtinendo, deq; mediis eundem consequendi doceat. Hæc autem est ipsa Theologia revelata, de qua nunc disquirimus.

§. III. Theologia revelata, ut ab aliis disciplinis divisa est, ita in se se indivisa & una est, ut cætera disciplina.

*Theologia
una est
Disciplina.*

Quod itaque ad alterum, de *unitate Disciplinae Theologicae*, caput, notum itidem est è *Gnostologia*, quomodo disciplinae unitatem obtineant, etsi objecta particularia plura pluresq; notitiz

tiâ in iisdem occurrant, & quomodo
 distingvenda sint integra plurimum
 disciplinarum systemata & Encyclo-
 pædiâ à *systemate & collectione plurimum
 particularium objectorum*, in una disci-
 plina, unde hoc tanquam certum *axi-
 oma* supponimus; *uti in disciplinis Theo-
 reticis uno dato objecto totali & ade-
 quato una datur disciplina: Ita in Pra-
 cticis, ubi finis datur unus, ad quem or-
 dinantur media, ut is in certum introdu-
 catur objectum, ibi una est disciplina.*
 At in Theologiâ, ut subsumamus, da-
 tur ejusmodi *unus finis*, ad quem ordi-
 nantur omnia media, nimirum *beati-
 tudo spiritualis & cælestis*, vel *fruitio
 DEI salutaris*, ut is in *subjectum* homi-
 nem nempe salutis expertem induca-
 tur. Huc enim tendunt omnia, quæ in
 Theologia traduntur; proinde Theo-
 logia habenda est pro una disciplina
Thom. part. 1. quæst. 1. art. 3. & qui eum
 sequuntur, unitatem Theologiæ dedu-
 cunt inde, quod omnia, quæ in ea con-
 siderantur, *sub unâ formali ratione spe-
 ctentur* nimirum, *quâ sunt divinitus
 revelata*, sed præstat eandem ex unita-
 te finis aestimare, ut par est in discipli-
 nis

nis practicis. Labefactant autem unitatem Theologiæ 1. qui directè negant, eandem unam constituere disciplinam, hoc præcipuè argumento; *Creator & Creatura, de quibus in Sacra doctrina tractatur, non continentur sub uno genere subiecti. E. Sacra Doctrina non est una scientia.*

Ad quod respondet Thom. quod *sacra Doctrina non determinet de DEO & de Creaturis ex æquo, sed de DEO principaliter, de Creaturis secundum quid referuntur ad eum, ut ad principium & finem.* Rectius dicitur non unitatem subiecti sed finis respiciendam esse in practicis, qui cum in Theologia unus sit, una etiam hinc evadit disciplina.

2. Qvi unum habitum specie Theologiam esse negant, & habitum tum theoreticum tum practicum eandem constituunt; Habitùs enim specie distincti unam specie disciplinam constituere non possunt.

Excipiunt autem illi, quod *sufficiat vel unitas objecti, in quam omnia considerat Theologia, ut revelata divinitus*


tus, vel unitas ordinis, prout omnia ad unum Deum ordinantur.

Resp. verò, *neutrum sufficere ad unitatem disciplinae, quia si objecti generalis ratio, quòd omnia, quæ traduntur in Theologia divinitus revelata sint, sufficeret ad unitatem Theologiæ, utique pariter ad unitatem Philosophiæ sufficeret, quòd omnia, quæ in ea traduntur, nature lumine cognosci possint, imò eâ ratione Philosophia, Medicina, Jurisprudentia, in unam compingerentur disciplinam; quia revocari possunt omnia, quæ in illis traduntur, ad unum aliquod generale objectum, quâ sunt omnia rationis lumine cognoscibilia. Adde, quòd omnes disciplinæ quæcunque, ipsa etiam Theologia, ita ad unum generale objectum revocari possit ἡ γινώσκω (omnes enim occupantur circâ cognoscibile aliquod) si habitus speciei distincti concurrere possunt in una disciplina. Quòd ad unitatem ordinis, quòd omnia ad DEUM reducantur ceu principium & finem, sic ad DEUM ceu Autorem & ad DEI gloriam ceu finem referri debent omnia, in quibusvis disciplina*

sciplinis, quæ etiam omnes ordinatæ in uno systemate exhiberi possent, si æstimanda unitas disciplinæ à qualicumque unitate ordinis, si methodi distinctissimæ occurrant in eadem *tum Synthetica* *tum Analytica*. At quis omnes disciplinas unam constituere disciplinam concedet? Præterea non est *DEUS*, fatente parte adversa, *adæquatum* Theologiæ objectum, nec omnia, quæ in ea traduntur, sub ea ratione proponuntur, ut *DEUM* respiciunt ceu *principium & finem* v. g. *peccatum* & alia. *Ordo* denique non unus sed & distinctus maximè erit in una disciplina *tum Synthetica*, *tum Analytica*, si Theologia partim *Theoretica* est, partim *Practica*.

3. *Qui Theologiam non ut unam disciplinam proponunt sed ut distinctas*, uti *Alsted*: Theologiam *Catechetica*, *Scholasticam*, *Casualem*, *Propheticam*, *Acroamaticam* distinctim exhibet, aliique separatim tradunt, quæ ad *proximam* magis faciunt *Theologicam* sive *Homileticam* sive *Casualem*; quasi illa distincta ab ipsa Theologia constituent disciplinam, cum & debeant & possint

commodè omnia, quæ ad Theologi-
 am faciunt, sive *Homiletica* sint, sive
Casus Conscientiæ concernant, & quæ-
 cunque omnino sunt Theologica or-
 dine convenienti proponi in Theolo-
 gia tanquam una disciplina. Distin-
 ctas enim ea constituere disciplinas
 vix est, qui disertè profiteri audeat. Si
 ergò unam saltem constituunt disci-
 plinam, ita etiam tradenda & pro-
 ponenda Theologia, ut in ea exhibe-
 antur illa omnia, & ut manifestum
 evadat, quomodò omnia ad unam re-
 vocari disciplinam, & in una tradi pos-
 sint Theologia, quod hucusq; non fa-
 ctum esse omnes procul dubio
 agnoscent.



CAPUT VII.

De

CAUSA EFFICIENTE THEOLO-

GIÆ.

§. I.

CAusa efficiens Theologiæ re- *Causa ef-*
 velatæ alia est principalis, a- *ficiens*
 lia minus principalis. Illa est *Theolo-*
DEUS fons omnis sapientiæ, Pa- *giæ.*
 ter, Filius & Spiritus S.

Existentiæ Theologiæ probationem
 excipit *essentiæ declaratio*, quæ exhibe-
 tur tum *ὁλικῶς* spectata, tum *μερικῶς*
 & *in partibus* considerata. Ibi cogno-
 scitur tum *à priori* per causarum ex-
 plicationem, tum *à posteriori* per affe-
 ctionum præcipuarum evolutionem
Causæ & seorsim proponuntur, & in
 definitione Theologiæ conjunctim ex-
 hibentur. Suntque aliæ *externæ*, aliæ
internæ. *Externæ* sunt *Efficiens* &
finis.

Efficiens Theologiæ spectatur vel
 ratione *primæ originis*, vel ratione *mo-*
derne

terna communicationis. Si prima origo respiciatur, Theologia sine ministerialis causæ interventu immediatè fuit à Deo revelata, uti in Paradiso Deus ἀποφώνως, prot-Evangelium primis parentibus patefecit, verbumq; suum ἀμείσως inspiravit Sanctis hominibus. Si verò *moderna communicatio*, de qua nunc potissimùm sermo est, attendatur, non immediatè, sed mediante verbo scripto & institutione Ecclesiæ, Theologia revelata obtinetur & acquiritur. Causa verò *efficiens* Theologiæ distingvi potest in *moventem* & *agentem*. *Movens* est tum *πρηνυξιμένη* & *interna*, tum *προκαταρτιζουμένη* & *externa*. Illa in Deo est immensa bonitas & inexhausta misericordia, quâ Deus ceu Summum bonum sui maximè communicativum sapientiam suam hominibus communicare & ex arcana majestatis suæ sede prodiens sese humano generi revelare dignatus est. *Hec extra Deum est* nostra post lapsum tum *ignorantia* rerum divinarum, tum *miseria ineluctabilis*, quâ pereundum nobis æternùm fuisset, nisi Deus nostri misertus ad sui cognitionem nos perducere dignatus esset, idq; per-

verbum revelatum & doctrinae coelestis patefactionem *Ephes. II. v. 1. 2. seqq. Col. I. vers. 2. c. V. 13, 21. 22. 26. 27.* nos enim natura cœci & stulti sumus in spiritualibus, ad dijudicationem rerum divinarum prorsus inepti *1. Cor. II. v. 14. Ephes. IV. v. 17. seqq. Agens causa est, tum principalis, tum minus principalis. Illa est DEUS* ceu causa prima rerum omnium, dator omnis boni & fons omnis Sapientiae *Jac. I. vers. 17.* qui vni solus omnis cognitionis nostrae Autor est, ita vel maximè cognitionis divinae & Theologiae revelatae, quippe quæ unicè à DEO revelante ortum trahit. Qui enim verbi revelati summus Autor est, is est & Theologiae revelatae, quæ habetur è verbo. Jam verò DEUS est summus verbi Autor, quod ideò DEI verbum dicitur, & quidem DEUS *Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* De *Patre* videatur *Matth. XVI. vers. 17. Ebr. I. v. 1.* & passim in Scripturis. De *Filio* *Matth. XI. v. 18. Johan. I. vers. 18.* qui Sapientia DEI substantialis & verbum DEI inter alia vocatur ob sapientiae divinae communicationem & verbi revelationem.

De Spiritu S. 1. Sam. XXIII. v. 2.
 Actor. XXVIII. v. 26. 1. Pet. I. v. 11. 2. Pet. I.
 v. 21. &c.

*Causa
 Theologiae
 minus
 principa-
 lis.*

§. II. *Minus principalis* Theologiae causa est, tum *Organica & instrumentalis*, tum *ministerialis*. *Organica* est Verbum DEI tum quâ divinitus patefactum, tum quâ ab hominibus perceptum.

Verbum DEI nonnulli causam *mediam* dicere malunt, non *organicam*, verum si imperfectio defecetur, terminum organi haud detrectabimus: pro ut is artic. V. August. Confess. adhibitus est. Quod autem Verbum DEI unicum sive *medium* sive *organon* sit Theologiae revelatae, hinc constat, quia nihil de Theologia revelata scire possumus, nisi per revelationem divinam. Haec autem divina revelatio est ipsum DEI verbum. Hoc primum est cognoscendi principium, in quod omnes resolvuntur conclusiones Theologiae. Hoc causa est propria & immediata Theologiae, hoc semen est illud incorruptibile, ex quo Ecclesia nascitur, Theologia perficitur. 1. Pet. I.

v. 23. 25. Constituuntur quidem plura media Theologiæ addiscendæ, sed distinguendum 1. inter *primam Theologiæ originem & modernam Theologiæ perceptionem*; ibi per solam revelationem divinam Theologi effecti sunt, quibus ea fuit inspirata divinitus. *Hic* alia quoque requiruntur adminicula & media, cum non per verbi inspirationem sed institutionem è verbo Theologi nunc evadant.

2. *Verbum DEI* est adæquatum medium addiscendæ jam Theologiæ, quæ percipitur à nobis, non exclusis adminiculis iis, quæ faciunt ad verbi perceptionem. Per Verbum DEI unice Theologi evadimus, sed ut Verbum DEI nos instruat & perfectos reddat 2. *Tim. III, v. 15. seqq.* oportet intelligi verbum DEI, & adhiberi utiliter ad nostram informationem. Quæcunq; ergò alia requisita, media & adminicula Theologiæ constituuntur, ea ad verbum DEI reducuntur, ut illud & dextrè intelligatur & in usum nostrum convertatur, vel ut è verbo DEI Theologia addiscatur, quo nomine Verbum DEI ut principium cognoscen-

scendi adæquatam considerari poterit. Cætera ut media & adminicula cognitionis, quæ unicè è Verbo DEI hauritur, quævalia B. Lutherus præfatione Tom. I. operum Germ. Jenens. assignat, orationem, meditationem ac tentationem; Scias, inquit, Scripturam Sacram esse talem librum, qui reliquorum librorum omnium sapientiam infantet, ideò de tuo ingenii acumine in percipienda hujus libri Sapientia penitus desperes, flexis verò genibus in vera humilitate seriò DEUM preceris, ut per & propter Filium suum dilectum det tibi Spiritum S. qui te illuminet, dirigat & sanam scripturæ intelligentiam præbeat. Deinde mediteris, hoc est, Scripturam Sacram summò studio evolvas & interiorius in corde mediteris, nec perversam illam opinionem inducas, quæ sufficiat semel, bis terve legere. Deniq; accedit tentatio, quæ est instar lydii lapidis, docet enim non solum scire, sed etiam sentire. & experiri certitudinem, veritatem, suavitatem, efficaciam & consolationem verbi &c. Sed de requisitis Studii Theologici, ut & de mediis interpretationis Scripturæ Sacræ aliàs ex professo.

§. III. *Ministerialis causa sunt,*
 qui verbum DEI primitus tradi-
 derunt, & qui è verbo DEI post-
 modum alios instituerunt vel ad-
 huc instituunt.

Utriq; enim suum ἐπιβάλλειν ὑβ-
 ρος conferunt ad Theologiam revela-
 tam propagandam, sed διακονικῶς &
ministerialiter, idque diversâ ratione.
 Nam quibus à DEO inspiratum ver-
 bum, hi autoritate divina instructi
 Theologiam tradiderunt, utpote Pro-
 phetæ in Vet. & Apostoli in Nov. Test.
 & horum scripta, quæ DEUS perpetuè
 Ecclesiæ usui voluit consecranea, fun-
 damentum constituta sunt Theologiæ
 ab aliis addiscendæ *Ephes. II. vers. 20.*
Ceteri ergo, quorum ministerio propa-
 gatur doctrina cœlestis, cum ipsi divi-
 na revelatione immediatâ destituan-
 tur, ad hocce medium sacrarum litera-
 rum adstringuntur, ut ex iis unice Theo-
 logiam proponant, ac doceant, quò pa-
 ctò Theologiæ propagandæ Ministri
 fuere in V. T. Sacerdotes, aliiq; homines
 rerum Sacrarum cognitione imbuti in
 populo Dei. In N. T. *Pastores*, qui vocan-
 tur etiam *Doctores verbi*, Ministri Eccle-
 siæ

siæ orthodoxi, utpote, per quos instruuntur alii è verbo Dei de vera Dei cognitione ejusque salutari fruitione. 1. Cor. XII. v. 28. seqq. Eph. IV. v. II. seqq. *Breviter complectitur Theologiæ causam Basilius Magnus sermone contra Sabelian: & Arian: Dominus sic docuit. Apostoli prædicarunt, Pastores conser-
varunt.*

CAPUT VIII. DE REVELATIONE DIVINA.

*Revelat:
Defini-
tio*

§. I. *Revelatio est actus DEI externus, quò sese humano generi per verbum suum patefecit ad salutarem ejusdem informationem.*

*1. Nomen
revelatio-
nis.*

Verbum DEI principium Theologiæ est, quâ divinitus revelatum est. Cum verò de revelatione divina non pauca doceri possint, hic visum fuit quibusdam de ea agere, ideoque 1. nomen expendemus, deinde *descriptivam* ejusdem. Circa illud vocis *Etymologia* potissimum attendenda. *Revelatio* autem, cum de divina revelati-
tion

tione agitur, vel i. *generalissimè* adhi-
 betur pro omni patefactione, quâ DEUS
 sese manifestavit sive voce vivâ, sive
 aliâ quacunque ratione, utpote quod
Προπλαστis indiderit sapientiam & θεο-
γνωσιας quandam per *primariam* crea-
 tionem, quod amissa ea habituali Sa-
 pientiâ servet ac propaget *νοητὰς ἐν-
 νου* & *communis* quædam principia,
 è quibus DEUS cognosci potest, quod
 per *creaturas* sese patefaciat & invisibi-
 lia sua per visibilia manifestet, quod
viris sacris potissimum per *immedia-
 tam θεοπνευστικῶν* conceptus sanctos in-
 spirârit, quod *Scripturas Sacras* per
Prophetas & Apostolos dictitarit & con-
 scripserit, quod per *Scripturas* nos in-
 formet, quod *allogvio suo* dignatus sit
 homines à *facie ad faciem*, quod per
Angelorum Ministerium iis voluntatem
 suam patefecerit, quod *aliis signis variis*
 eandem testatam reddiderit, quod *ab-
 reptos in Cælum* instituerit, uti Paulo
 factum, quod in *ἐκστάσει* in Spiritu
 constitutos docuerit in *visione, somnò*
 &c. quod *intuitivam* sui visionem ex-
 hibiturus plenissimè informet in al-
 tera vita. Omnia hæc communi
 reve-

revelationis divinæ nomine comprehenduntur in generalissima significatione, quomodo sese manifestasse Deus dicitur Gentilibus *Rom. I. v. 19.* &c. 2. *Specialius* pro revelatione gratiosa *supernaturali* per verbum facta, quæ distinguitur à *revelatione naturali*, quâ eadem facta est, tum per *lumen naturæ*, partim uti id in primævâ hominis productione *cōcreatum*, partim prout id adhuc post lapsum cōservatum est, tum per *intuitum & aspectum Creature*. Hoc sensu revelatio complectitur non tantum *immediatam inspirationem* vel *patefactionem*; qualis Prophetis obtigit, sed & eam *revelationem*, quæ fit mediante Dei verbo sive ore tenus annunciato sive scriptis comprehenso. 3. *Specialissimè* pro revelatione Prophetis & Apostolis facta per immediatum Spiritus S. afflatum. Hic *media* respicitur significatio, cum de causa Theologiæ agatur, quæ eadem & primitus patefacta est, & nunc è divina patefactione addiscitur.

Descri-
ptionis
explica-
tio.

Quod itaq; ad descriptionem ipsam, *genus* revelationis est *actus externus*, scilicet *ratione DEI revelantis*, non
verò

verò ratione *hominis*, cui fit revelatio, cum facta sit revelatio per *internas inspirationes*. Cum verò *actiones DEI* *externe* variæ sint, certum est hanc referendam esse ad eas actiones, quæ concernunt *illuminationem* vel *informationem* *hominis*, quæ distingui possunt in *sanctificantes* & *ministrantes*, uti *dona DEI* vulgò alia dicuntur *sanctificantia* alia *ministrantia*. Revelatio autem pertinet ad *ministrantes actiones*, non ad *sanctificantes*, cum obtigerit etiam illis, qui non fuere è *Sanctorum* *communione* v. g. *Bileamo*, *Sauli* & *Caipha*, qui revelationes habuerunt & vaticinati sunt, etsi reprobi extiterint, quemadmodum & hodiè non rarò reperiuntur insigniter in verbo *DEI* instructi, at verà sanctitate destituti, *Scientiâ* *Theologi*, *professione* & *vita* *ἀθεόλογοι*, vel etiam prorsus *ἀθεοί*. *Differentia* petita est i. *forma*, *patefactione verbi*, quæ diversimoda est, cum aliter verbum *Autoribus* *Ministerialibus* *Scripturæ* *Saceræ* patefactum sit, aliter nunc per verbum ipsis inspiratum & in *Scripturas* relatum nobis patefiat. *Illis* pate-

Forma.

factio obtigit per verbum internum, quod (1) *intrinsecus* fuerat inspiratum, postmodum autem beneficio illius *interioris* afflatus vel inspirationis scripturis consignatum & externo illo scripturae actu interveniente, Ecclesiae commendatum, nec non externa praedicatione traditum. *Propheta* enim & *Apostoli* accepta divina patefactione tum vivâ voce eandem proposuerunt, tum scripto consignârunt ex voluntate DEI, prius ergo ipsorum respectu erat verbum internum, *posterius* verbum externum. Nunc autem revelatio fit primitus per verbum *externum* è Sacra Scriptura vel praedicatum vel lectum, quo mediante & interveniente mens nostra interius informatur, unde verbum *internum*. Uti illic verbum *internum* fuit patefactio ἀπεσος ac irradiatio atq; inspiratio ejusmodi, quâ non poterat non liquere, ipsum DEI verbum revelari solius irradiationis divina claritate & efficacîa: ita hic est patefactio ἐμπεσος, quâ mens nostra instruitur de sensu verbi divini in Scripturis S. revelati per ordinaria ἐπιμνηστικὰ media eaq; certissima, quorum evidentiam

tiam mens nostra percipere potest, infallibilem autem fidei certitudinem per Spiritus Sancti testificationem & obfignationem consequitur.

2. *Ab objecto.* Præcipuum autem revelationis objectum est DEUS, ad quod etiam reliqua certò modò reducuntur, præsertim ubi DEUS spectatur non tantum ratione *essentia*, sed & *voluntatis* suæ, cum revelata sint ea, quæcunque de se & voluntate sua scire nos voluit DEUS, unde omnia revelata faciunt ad voluntatem DEI agnoscendam, tum quid ille à nobis *credi & fieri*, tum quid ipse *de nobis facere* voluerit & velit. Tota Scriptura in *Legem* & *Evangelium* dispescitur, adeoque voluntatis DEI *Legalis* & *Evangelicæ* revelatione absolvi-
tur.

Objecti.

3. *A subjecto*, quod constituimus humanum genus, *partim universim* spectatum, cum attendimus intentionem DEI revelantis, quæ voluit omnibus hominibus innotescere suam revelationem, *partim ratione Individuorum*, quibus actu obtingit revelatio. Distin-

*Subje-
ctum.*

guitur autem Revelatio *hominibus* facta ab eâ, quæ fit *Angelis*, itemquæ illa quæ *hominibus* in hac vita contingit, de quâ hic agimus, ab eâ quæ fit *beatis* in Cœlis. Revelatio *Angelis* & *beatis* propria, fit per *visionem*. 1. Cor. XIII. v. 12. 2. Cor. V. v. 7. Cui addunt *Scholastici Speculum essentia divina*, in quo cœlites beati omnia intueantur, sed Scriptura *per Speculum videre* nobis tribuit in hac vita, *beatis* autem in altera vita *à facie ad faciem* vel per *speciem & intuitum* 1. Cor. XIII. v. 12. 2. Cor. V. v. 7. 1. Joh. III. v. 2. illudquæ imperfectionis esse docet, quæ aliena est à *beatis* 1. Cor. XIII. v. 10. Nec è veteribus de *Speculo* illo, in quo beati omnia videant, quispiam aliquid tradidit *ante Gregor. Magnum*.

Proinde respicimus *Speculum* illud *Papisticum* (1.) ceu *ἀγῆσθον*, quod nusquam in Scripturis apparet, sed ex privatis tantùm speculationibus fabricatum est. (2.) ceu *ἀντιγῆσθον*, eo quòd Scriptura Sanctis in Cœlis omniscientiam derogat, soli quæ Deo eandem vindicet, nec *comprehensorum* sed viatorum cognitionem *Specularem* esse doceat (3.) ceu

(3) *κεν ἐν λόγῳ*, cum nulla ratione verisimile sit, imò repugnantiam involvat Deo viso decreta libera, & actus contingentes à Sanctis in DEO videri antequam fiant. Unde fatetur *Becanus part. 1. Theolog. Schol. c. 9. quæst. 11. beatos divinam essentiam videntes non videre omnia libera decreta & consilia DEI*, *Occam. lib. 4. sentent. quæst. 13. Creaturas negat habere in DEO esse relucens vel representativum in essentia sicut in speculo, cum Angeli DEUM videant, & multa tamen ignorent. Thom. part. 1. quæst. 12. art. 8. Videns ait, Speculum non esse necessarium, quod omnia in speculo videat, nisi species visu suo comprehendatur, nullus autem intellectus creatus DEUM comprehendere potest totaliter, ideoq; nullus intellectus creatus videndo DEUM omnia cognoscere potest, quæ DEUS facit vel facere potest.* Cæterum hîc revelatio intelligitur *viæ non patriæ, vel viatorum non comprehensorum*, cum de eorum Theologia nunc differamus, ideoq; *specularem* quidem visionem hîc respicimus, sed Sacrarum literarum non Pontificiorum sensu, nimirum eam, quâ DEUM veluti in speculo tan-

tummodò i tuemur, hoc est, cognoscimus *exterius* saltem à *posteriori* per umbram & *imperfectiori* cognitione. Quæ enim in *speculo* videntur *exterius* & *superficialiter* solùm videntur, ibiq; non res ipsæ sed tantùm imagines & species rerum apparent.

Finis.

4. *A Fine*, quæ est *informatio hominis salutaris*, quâ differt *revelatio divina* à *quavis revelatione Diabolica*, quippe quæ non intendit *salutarem informationem*, sed *seductionem & salutis privationem*. Sed ista plenius è *causarum evolutione* cognoscuntur.

Revelat.

Causa efficiens.

§. II. *Revelationis causa efficiens* DEUS est, sive per semetipsum sese patefaciens *immediate*, sive *interventu mediolorum* vel etiam *causarum ministerialium*.

DEUM Autorem esse *revelationis*, non tantùm *generali ratione* docemur, quod DEUS *prima sit veritas*, quodque omne verum & omne bonum pariter suam à DEO habeat *originem*, sed & *revelationem specialem* *consideratione* convincimur, cum

reve

revelationes divinæ Autorem suum testentur, nosq; certos reddant, quod à Deo ipso profectæ sint, quemadmodum constat, revelationes immediatè à Deo factas Divinitatem etiam præ se tulisse, unde illi, quibus factæ, cognoverint, eas divinas esse.

Quæritur autem, *quænam res, signa & indicia fuerint divinitatis revelationum, quibus ille agnosci vel etiam discerni quiverint à prestigiis Diabolicis?* Resp. Talia *γυωπίσματα* partim à modo & circumstantiis revelationis petenda esse: partim è *materiâ ipsâ*, partim etiam è *sine revelationum* colligi posse. Quod ad modum revelationis, quum majestate quâdam singulari verè divinæ stipatæ fuerint apparitiones, vel revelationes divinæ, aut miraculis etiam confirmatæ iis, quæ non nisi à causa prima proficisci possunt, omnisq; creaturæ vires excedunt, inde utiq; facile agnosci poterat earum divinitas. *Materiam* quod concernit, divina revelatione non nisi vera, utilia vel salutaria patefacta fuere, quò *γυωπίσματα*, etiã Prophetæ veri à Pseudoprophetis discernebântur *Deut. XVIII. v. 22.*

Quod ad finem, divina revelatio semper intendit salutem hominum, quam Diabolicæ præstigiæ intendere nequeunt, quum Diabolus hostis ἀσπρον ὄψις sit hominum & salutis humani generis, unde etsi vera proferat & salutaria, non tamen studio veritatis & intentione salutis nostræ ea proferri certum est. E. gr. Cum Spiritus Pythonissæ testimonium perhibet Paulo & Barnabæ Act. XVI. 16. *Isti homines servi sunt DEI excelsi*, non sanè intendit hominum conversionem, sed vel videri voluit Spiritus divinus, utpote servos DEI collaudans, ut Chrysostr. & Oecumenius censent, vel petebat Pauli caput accensurus heros Pythonissæ in Paulum, ut eum malè mulctarent vel occiderent, cum prævideret, Paulum se ejecturum & servi illius quaestum divinationum privaturos.

Causæ ministeriales.

§. III. Causæ ministeriales, quarum interventu revelationes divinæ factæ in Vet. Testam. dictæ sunt communi nomine Prophetarum, in Nov. Testam. & Prophetarum occurrunt & Apostoli, & præter hos

hos alii, Evangelistæ & Discipuli Christi.

Ut Exemplo est *Agabus* Act. XI. v. 28. c. XXI. v. 10, quem *Dorotheus* in *Synopsi Sanctorum* unum fuisse censet è LXXII discipulis Christi, quo pertinent & alii, qui revelationes divinas habuere, quales leguntur & foeminae quaedam revelationibus divinis instructæ, ut *Prophetissæ* in Vet. Testam. *Deborah* Jud. IV. v. 4. *Hulda* 2. Reg. XXII. v. 14, &c. & in Nov. Testam. *virgines quatuor* filia *Philippi Evangelistæ* Act. XXI. v. 8.

Ubi commoda sese offert occasio de *Sibyllis* agendi, quæ *gentilium Prophetissæ* commemorantur maximè celebres: *Diodorus*, *Sibyllæ*, inquit, *mulieres sunt Vates DEO plenæ*. Nomine enim isto omnes foeminas Vates à Veteribus appellatas observat quoq; *Lactantius lib. 1. Inst. c. 6.* idq; vel ab unius *Delphidis* nomine, vel à *consiliis Deorum enunciandis*, eò quòd Attico sermonis genere Deos, non θεοὶ sed σαρς, consilium non βεβλήν, sed βούλλην appellârint, unde *Sibylla* dicta quasi θεοβέβλη, *Phavorino* *Sibylla* dicitur.

De Sibyllis.

Earum Nomen.

ἢ τοῖς χεισμοῖς ἠδεῖται, ἢ μαντικῶς ἢ
 χεισμός παντάζεται, unde & verbum
 σιβυλλῶν descendit.

Diversæ autem leguntur de Sibyl-
 lis sententiæ. *Sebastian: Castellio* unam
 saltem fuisse censet, cui sententiæ ma-
 ximæ obstare *incredibilem longevitate*
tem Sibyllæ istius, observat *Xistus Be-*
tulejus in annot. ad lib. 1. Lactantii de
ira c. 22. cum statuendum sit eam à di-
 luvio usq; ad Tarquiniolorum tempora
 vixisse, quod spatium cõplectitur 1770
 annorum. Ideoq; duas ad minimum
 aut 4. etiam constituit *Betulejus Sibyl-*
las. Martialis Capella itidem duas nu-
 merat, *Erophilam Trojanam & Symma-*
chiam Erythream, quæ & Cumis vati-
 cinata sit. *Phavorinus* cum *Philetæ*
Epheso tres facit Sibyllas, *Apollinis*
sororem, Erythream & Sardiniam. *Pli-*
nus trium Sibyllarum statuas recen-
 set Rómæ erectas. *Solinus* eas nomi-
 nat *Cumanam, Delphicam, & Erythra-*
um. *Ælianus in variâ historiâ* 4. ponit,
Erythream, Samiam, Ægyptiam, Sar-
dianam, istis alii duas addunt *Judeam*

De nu-
 mero
 Sibylla-
 rum.

& *Cumæam*. Varro in libris rerum divinaram quatuor adjungit, ut sint decem. Quas etiam recenset Lactantius lib. 1. Inst. c. 6.

Primam Lactantius facit *Persicam*, Recensio
earun-
dem.

cujus mentionem fecerit Nicanor scriptor rerum gestarum Alexandri, quam alii *Chaldaeam* & *Hebraeam* dicunt, proprioque nomine *Sambetham* vocant, ac procreatam volunt Noa Patre vel etiam Beroso. Innumera dicitur cecinisse de CHRISTO & ejus adventu, sed fragmenta tantum nonnulla habentur in Lactantio & Theophilo. Secundam *Libysam* facit Lactantius, cujus meminerit Euripides in *Lamiæ* prologo. Alsted. eam de vocatione gentium & nativitate CHRISTI ex virgine vaticinatam ait, conjicitque ipsam *Deboram* fuisse. Tertia *Delphica* dicitur, de qua Chrysippus in libris de divinationibus. Alii vocant *Themis*, & vixisse ajunt ante Trojanum excidium, cujus plurimos versus operi suo Homerus inseruerit. Diodorus Daphnen Tiresiæ filiam fuisse refert. Alsted. tribuit ei vaticinium de virginis partu. Quarta dicitur *Cumæa* & Itali.

Italica, quam *Nævium* in *libris belli punici & Pisonem* in *Annalib.* referre observat *Lactantius*. Quinta *Erythraam* ab *Apollodoro Erythraeo* nominatam tradit, quæ *Trojam perituram* vaticinata sit, *Strabo* duas *Erythraas* facit *priscam*, & *recentiorem*, *Athenairi* dictam, quæ fuerit *Alexandri* temporibus. Estq; ea omnium celeberrima, cuius *Acrostichis* extat apud *Eusebium*, in *serm. Constant. M.* aliosq; hanc in sententiam $\text{Ἰησοῦς Χριστὸς ὑπὲρ πάντων σούτων}$. Sextam *Samiam* faciunt, de qua *Eratosthenes* in *antiquis annalibus Samiorum* scriptū se reperisse testatur. Dicta autem est *Pytho*. Hanc de *divite nascituro ex paupercula vaticinatam esse*, quem *bestiæ terræ sint adoraturæ*, hoc est, de *Christo*, refert *Alstedius*. Septima *Cumana* est nomine *Amalthæa*, quæ ab aliis *Demophile* vel *Herophile* nominatur (quamq; *Eusebius Hierophilen Samiam*, *Solinus Erythraam* dicant) & libros quosdā *Regi Tarquinio* vendidisse dicitur à *Plinio*, *Dionysio*, *Solino*, *Gellio* & *Servio*, etsi alii *Tarquinium superbum*, alii *priscum* nomenclent. Hæc prædixit ex æternitate prodituram pro-

lene,

lem per virginem & sublatâ ferrea etâ-
te fore auream. Octava est Helle-
spontia, quam Heraclides Ponticus scri-
bit fuisse Solonis & Cyri temporibus.
Nona Phrygia, quæ Anciræ vaticinata
altissimum è Cælo in terras venturum per
virginem. Decima Tyburtis est, no-
mine Albunea, quam Tyburi coli ut
Deam, refert Lactantius. Hæc paulò
ante natiuitatem CHRISTI adhortata
dicitur Augustum Cæsarem, ut puerum
coleret è virgine nasciturum. Præter
has autem à Varrone recensitas ferun-
tur & aliæ nonnullæ, ut Colophonia
(Lampusia dicta) & Elysa & Epirothia
& Thesalica, de quibus vid. Ludov.
Vives in Com: ad August. lib. 18. de Civit.
Dei c. 23.

Ut verò de numero Sibyllarum
variant sententiæ, ita & de autoritate
carminum Sibyllinorum alii aliter ju-
dicant. Nonnulli i. Sibyllas unquam
extitisse negant, & carmina ipsius as-
signata à Christianis conficta ajunt, ad
Gentiles convincendos, quod quidem
effugium Gentilium fuisse refert La-
ctantius lib. 4. de vera Sapientia c. 15.

De auto-
ritate Si-
byllar.

A qui-

An con-
ficta sint?

A quibus non alienus est Socinus in *AntiWiecko* responsione ad 13. cap. Verisimile esse statuens, narrationes de Sibyllis fabulas esse, & potius credendum videri, eas nunquam extitisse, sed hanc censuram solidè jam confutavit *Lactantius* autoritate *Ciceronis*, *Varronis* & aliorum veterum, qui *Erythraam Sibyllam* cæterasque commemorarunt, utpotè, qui Autores ante obierunt, quàm CHRISTUS secundum carnem nasceretur. (Secundum *Eusebium* *Cicero* 40 ante CHRISTUM natum anno, *Varro* verò anno 16 obiit) quales etiam plures à *Lactantio* l. 1. *Instit. cap. 6.* producti. Argumenta Socini contraria nullius sunt momenti.

Socini
sententia.

Argumenta
ejus refu-
tantur.

Nam quod (1) neminem de illis quicquam scripsisse, ait, ipsarum tempore, id si concedatur, parum refert, sufficit enim, quod subsequè temporibus autores varii de iisdem mentionem fecerint, quibus fides temerè deneganda non est, vicinos antiquissimis nihil tradidisse haud mirum, cum ne quidem habeantur tam antiqui Historici. Quamquam de posterioribus Sibyllis Historici etiam tradiderint, earum ætati contermini.

Quod

Quod (2) *Varronem*, quo scriptore, *Lactantio* iudice, nemo unquam doctior ne apud *Græcos* quidem extitit, & alios nihil certi de *Sibyllis* habuisse observavit *Socinus*, id nec simpliciter verum est, nec si esset evinceret, *Sibyllas* nunquam extitisse, cum de multis etiam certissimis haud rarò quoad circumstantias nonnullas incerti sint *Historici*. Id verò tanquam exploratissimum traditur communi suffragio, quod *Sibyllæ* fuerint, ut ut de numero, origine, & vaticiniis earum nonnulla incerta vel dubia occurrant.

Quod (3) ad narrationem de *Cumana* vendente libros *Tarquinio*, ea silentio *Livii*, ut colligit *Socinus*, non redditur statim fabulosa, utpote, qui etiam alia multa præterit, quæ negare aliis fide dignis asserentibus non licet; à testimonio enim humano negativè argumentari non fas est, præstatque unus loquens testis multis silentibus, nedum multi loquentes unò silente. Num *Plinio*, *Dionysio*, *Solino*, *Gellio*, *Sextio*, aliisque historiam istam referentibus fides deroganda, quod de ea taceat *Livius*?
Etsi

Etsi verò illi quibusdam varient circumstantiis, in eo tamen consensus est, quod *Tarquinio* libri nonnulli venditi sint à *Sibylla*, nec novum est, de rebus etiam certissimis variare Historicorum relations. Ineptus autem est

Socinus, cum ex eo solo, quod *Livius* tacuerit hanc historiam, concludit reliquas etiam de *Sibyllis* narrationes fabulosas esse, cum si vel maxime illa fabulosa foret, non tamen alias omnes eodem loco habendas esse argui possit, nisi ineptissime.

(2) *Casparus Peucerus* *Sibyllæ* nomen non *personæ*, sed *doctrinæ* facit, originis Hebrææ à verbo קבל accepti, unde *Cabala doctrina* ex immensione aut patefactione cælesti accepta, eò utens argumentò, quod *Sambetha* antiquissima *Sibylla* ex *Noa* orta tradatur, quam vocem nihil aliud sonare vult, quam *Sem*, *Japhet*, & notare doctrinam cælestem, quam *Noa* precipue *Semo* & *Japheto* commendavit propagandam. Ea verò cum propagaretur agnitis vaticiniis de lecuturis humani generis mutationibus à posteritate distracta

Librum sane quos Decem Viri, nunciati pro dignis majoribus, adire sicut jussu, Livii aliquoties facit mentionem, ut

Dec. 3. lib. 1. paulò ante finem. n. 203. Dec. 3. l. 2. p. 205. Dec. 3. l. 2. p. 216. Dec. 4. lib. 1. p. 365. Dec. 4. l. 10. p. 404.

Eos verò Libros Sibyllinos fuisse, alii Auctores testantur. Vid. Cic. Veridica Hist. Peucerus

sententia

n. 248. l. 7. E. V. m. inf. nomen

170. Sibyllæ esse do-

ctrinæ, nõ personæ.

atque dispersa, variis corruptelis depravata intercidentibus etiam monumentis Sanctorum nomen tantum remansisse, atque hinc singulas penè Gentes, singulas habuisse *Sibyllas*, id est, *Religiones & doctrinas suas* ex unica prima & vera illa extractas, censet, unde celebrentur *Chaldaica, Persica, Libyca, Italica, Græca plures*, quibus semper aliquid prædictionum admixtum fuerit. His tamen *conjecturis* suis minimè sese refragari *Historicis de mulieribus vaticinis, nec inficiari aliquas ejusmodi fuisse* protestatur. Cæterum easdem statuit à Diabolo ex *κακοζηλία* Prophetiarum & doctrinæ Sanctæ publicationem obscurare annitente agitata, libr. de divinationib. f. 119. 124. Ita tamen, ut *Sambethen, & Libycam seu Elyssam* (priors duas Sibyllas) *unam eandemque religionem Patrum fidelium fuisse* judicet. (dictionem Elyssam ex vocibus *El & Jesch, DEUS est* compositam dicens. De cæteris verò nihil quidem affirmat, ^{at} interim *vaticinas quasdam mulieres Diaboli ministras extitisse*, non inficietur. Sed conjecturæ Peuceri vix merentur assensum. Nam *Sibylla*

Πηγε-
σις.

L

rectius

rectius *Æolica* quàm *Ebræa* statutum
 originis, nec ex quocunqve probato
 scriptore docebitur facile, *doctrinam*
 ipsam vocatam esse *Sibyllam*, omnes vo-
 ce hâc ceu personæ nomine utuntur, uti
 e contra *Cabala* voce *doctrina*, non
 verò *persona* designatur.

*Philippi
 Senten-
 tia.*

(3) *Philippus* Præceptor *Peuceri* in
Chron. Carionis lib. 2. f. 63. nomen hoc
Sibyllæ Græcum esse agnoscit, & *vati-*
dicam significare, ac *Sibyllas mulieres*
fuisse, quæ vaticinia sua habuerint, vel
 à piis majoribus accepta, vel quoquo
 modo *Dæmonum* præstigiis sparsa.
 Quod autè *ad versus Sibyllinos* de *Chri-*
sto à *Lactant:* citatos, eos, si non falso
 tribuantur *Sibyllis*, à *Patribus* acceptam
 de illis notitiam affirmat.

*Aliorum
 qui Sibyl-
 lis auto-
 rit. divi-
 nam tri-
 buere.*

(4) Alii non tantùm *Sibyllas* adserue-
 runt, sed & *libris Sibyllinis* *autoritatem*
divinam adscripserunt. *Clem. Alexand.* in
 eam sententiam videtur adducere *Paul-*
um Apostolum lib. 6. Strom: quod libros
 istos commendavit his verbis: *λαβέτε τὰς*
ἑλληνικὰς βίβλους, ὅτι γινώσκει
σαν ὡς θεοῦ ἕνα θεὸν καὶ τὰ μέλ-
λουσά ἔσεσθαι. Capite Græcos Codices,
legite Sibyllam ut unum Deum & res su-
 ENRAS

ruras declarat. In pretio quoque magno
 fuere Sibyllarum oracula *Justino Mar-*
tyri, Athenagora, nec non *Lactantio* an-
 tiqvissimis Patribus, ut & *Augustino,*
 aliisque; ac utebantur statim post Aposto-
 lorū ætatem Christiani scriptis Sibylla-
 rum contra Gentiles ad demonstrandā
 fidei Christianæ veritatem. Unde etiam
Christiani ab Ethnicis populari dicterio
 appellati sunt *Sibyllini,* legesque latas
 refert *Justinus Apol. 2.* instigantibus Dæ-
 monibus à Romanis, quibus, quisquis de
 populo legeret libros Sibyllinos capitali ad-
 dicebatur supplicio. *Bellarmin. lib. 1. de Chri-*
sto c. 11. peculiarem classem argumen-
 torum pro asserenda Deitate Filii Dei
 contra Photinianos producit ex oracu-
 lis Sibyllarum, & *Sibyllas* multa clarius
 prædixisse asserit, quàm ullus Prophetarum,
 provocatque ad *Clementis* testimo-
 niū, quòd Paulus hortatus sit gentiles
 ad legendū *Sibyllas.* Verūm si talia scri-
 pta sint à Paulo, necessū est, intercidis-
 se illud Pauli scriptum, in quo ea habe-
 bantur, cū in his, quæ habentur, non
 legantur. *Clementis* allegatio ex incerta
 traditione hausta videri potest, & ejusdē
 forsā est fidei cum *Evangelio secundum*
Egyptios, quod adduxit *Clemēs 1. 3. Strom:*

in quo scriptum fuerit, *Christum ad Salomonem dixisse: Veni ad dissolvendum fœmina*

(5) Alii mediam amplectuntur *Sententia* sententiam, nec *fabulosa omnia* vel *com*
media. ficta de Sibyllis statuentes, nec *omni*

Sibyllas fatidicas quæ sub Sibyllarum nomine adducuntur, pro *veris* certisq; admittentes, quibus, ut calculum nostrum adjiciamus ab ista quidem parte autoritas fide digna, ab hac verò ratio prægnantissima *fuisse pro-*
batur. *Sibyllas* *fatidicas* *fuisse pro-*
batur. *res fatidicas, & carmina* edidisse distinctis ætatibus distinctis in locis, in dubium revocare non permittit Historicorum aliorumq; Scriptorum veterum constans & unanimes testificatio. Videatur præter *Varronem, & Fenestellam*

aliosq; à *Lactantio* adductos *Dionysius Halicarnassus*: lib. 4. *Solinus Polybius* c. 8. *Plinius*: lib. 13. c. 13. *Gellius* lib. 1. c. 13. *Cicero* lib. de Divinatione. *Cornelius Tacitus*: *Annal*: lib. 6. *Svetonius*: in *Octavio* c. 21. &c. Quum enim non tantum *Christiani*, sed & *gentiles* earum mentionem injiciant, & ante *Christi* *nativitatem* tam celebrata fuerint earundem *carmina*, quo pacto vel dubitandum erit de iisdem, vel statuere licebit à *Christo*

stianis ad gentiles convinciendos omnia conficta, quæ de illis produntur? Nec verò solùm ea, quæ ad *mores, disciplinam & res naturales* spectant in *Carminibus Sibyll.* pro veris & genuinis admitti possunt, sed & istorum nonnulla, quæ vel ad *mysteria fidei faciunt*, vel *oracula* exhibent de quibusdam rebus futuris, cum absonum non sit talia quoque à Sibyllis profecta esse, nec ulla cogat necessitas, ut statuamus omnia ista conficta fuisse à Christianis. Quid? quod etiam nonnulli demonstrare satagant, *ante Christi adventum inter Ethnicos* quædam extitisse de Christo *vaticinia* è Sibyllinis scriptis hausta idq; ex ipsis scriptoribus Gentilibus, utpote quod *Cic. lib. 2. de div. commemorat*, ab interprete librorum Sibyllin: hanc prolatam esse in Senatu sententiam: *Regem habendum esse, si salvi esse velimus*, quod *Cornel. Tac. lib. 5. & Sveton. in Vespasiano c. 4.* vaticinium referunt, *fore ut ex Judea oriretur, qui rerum potiretur*, quod *Virgilius 4. Ecl.* canit è Sibyllæ carminibus, *de puero nascituro ex virgine, qui toti orbi imperaturus esset, deleturus hominum peccata*

Et serpentem occisurus est, & seculum aureum reducturus. Videatur Petri Molinaei Vates lib.3. c.14.

*Unde fidei
mysteria
Sibyllis
innotue-
rint.*

Si verò quærat, unde fidei mysteria, unde Oracula & Vaticinia de futuris Sibyllis innotuerint? Hic equidem certi quid difficulter definitur. Fieri autem omnino potuit, ut talia vel è *traditione majorum* haberentur, quibus divinitus patefacta fuere, vel è *conversazione cum Hebraeis*, vel è *lectione etiam librorum V. T.* cum Sacra volumina ante *Alexandrum*, & ante *Persarum imperia* traducta fuerint (unde *Pythagoras* plurima sumpsisse dicitur) & *Aristobulus*, citante *Eusebio*, testatur *Platonem* legem *Mosis* in multis secutum esse, quod demonstrant pluribus *Justinus Martyr* in *Paranesti ad Gentil*: *Clementis Alex*: libris *Strom*: *Eusebius* libris de præpar: Evangelica, *Theodoretus* de Græc affectionibus, *August.* lib.8. de Civ. DEI cap.ii.&c. Vel è *Demonis instinctu* & *discamine* (quæ etiam *August.* est sententia lib:13. contra *Faustum* c.13.) quum illi nec mysteria fidei, nec oracula Prophetarum de Messia ignota fuerint,

quæ

quæ vaticibus suis inspirare vel patefacere potuit ad eludendam vel pervertendam doctrinam Propheticam, vel autoritatem suis oraculis conciliandam, & quæ fortè aliæ sunt causæ Diabolicarum præstigiarum. Vel denique è divino afflatu extraordinario, quo perculsi etiam leguntur quandoq; singulari DEI consilio reprobi, & qui extra gremium verorum fidelium erant constituti, ut de *Bileamo & Capho* constat. Nec incongruè creditur suffragante *August: lib. 18. de Civ. Dei cap. 47.* fuisse & in aliis gentibus homines, quibus mysteria revelata sint, & qui hæc etiam predicere impulsæ sint.

(6) Quod autem non admittamus omnia, quæ Sibyllarum nomen præ se ferunt, sed nonnulla conficta iudicemus ad Gentiles convincendos, carminum quorundam faciunt nimium, perspicua & luculenta vaticinia de miraculis aliisque actibus Christi, nec verisimile est, revelata fuisse Gentilibus & abscondita Judæis populo DEI electo ac inprimis Prophetis viris DEI selectis. Exemplo sunt, quæ de Christo super mare ambulante, de saturatis 5000 hominum

Nō omnia esse Sibyllina, quæ talia creduntur.

quingve panibus, de ventis solâ voce se-
datis à CHRISTO, prædixisse dicitur
tur Sibyllæ, quæ recitat *Lactant: lib. 4*
de vera sapientia cap. 15. & transfer-
Xystus Betulejus hoc modo:

*Luctibus incedet, tunc per loca sola
sequentes,*

*Panibus ex quinque saturos & pisces
marino*

*Millia quinque virum reddet, de fru-
gmine multo*

*Bis sex ingentes cophinos complebit
Jesus.*

Item: *Compescit ventos verborum, suo fre-
sternit.*

Ejusdemque evidentiæ sunt, quæ de Pas-
sione Christi refert *Lactant: c. Sibyllis*
l. c. c. 12. & colaphis casus taciturus. Item

*Ex spinis tortam gestabit & ipsam
coronam.* Item *c. 19.*

*Et velum templi medium lacerat-
tur ad inum*

*Et terra tenebrosa tribus nox
gruit horis &c.*

Qvis verò hæc & hujus generis alia,
quæ nec populo DEI, nec Prophetarum
ulli patefacta de singularibus istis tum
miraculis, tum circumstantiis passionis
Chri-

Christi, Gentilibus vel eorum vatibus Sibyllis revelata fuisse sibi persuaderi patietur. Longè similis est vero, talia ex historica Evangelistarum relatione carminibus inclusa, quàm ante Christum à *fœminis Gentilibus* prædicta fuisse. Nec id dissimulat *Augustinus* ipse *lib. 18. de C. D. c. 47.* Prophetias ejusmodi à Christianis confictas putari posse. *Lactantius* eqvidem id non putaturum censet, qui *Cicero- nem* legerit & *Varronem, aliosq; Veteres,* qui ante Christum Sibyllas commemorant. Sed ut ut inde constare queat, *Sibyllas extitisse* & carmina quædam scripsisse, hæc ipsa tamen vaticinia tam illustria ab iisdem profecta esse, nec *Varro,* nec *Cicero,* nec ullus ante Christum testatus est. Refert *Cicero Acrostichin* à Sibylla editã, sed intelligi eam, quàm commemorat *Eusebius,* non apparet, quanquam ea facilius admitti possit, quàm *carmina antea citata,* cum nihil contineat, quod à Prophetis antea prædictum non fuerit, adducta verò vaticinia nusquam in Prophetis legantur. Unde de iisdem statuendum videtur, quod *Cice-*

vo de illis, quæ suo tempore Romæ asser-
vabantur lib. 2. de Div. pronunciat calli-
dè quidā composuit, perfecit, ut quodcunq;
accidisset, prædictum videretur, hominum
& temporum definitione sublata &c.

Quamnam
probandi
vim ha-
beant Si-
byllina.

Quòd ergò ad vim probandi, quantum
valoris & momenti obtineant oracula
Sibyllina in rebus fidei, rectius quidem
ea adhiberi censemus ad Gentiliū quàm
hereticorum refutationem, eò quòd Si-
byllæ apud Gentiles in pretio magno
fuerint, nō item apud hæreticos, quod-
que hi Scripturarum oraculis, quæ ut
divina accipiunt, citra controversiam
sufficenter refellantur, nec opus sit
incertis ejusmodi documentis ad fidei
veritatem confirmandam, quæ nobis
quàm certissima constare debet. Quod
si verò fide solidissimè firmatâ è Scri-
pturis, secundariò adducatur, ea admit-
ti poterunt, quâ Scripturis consonant,
si è Gentilium scriptis etiam probari
possint, adversus eos κατ' ἀνθρώπων ar-
gumentum firmum præbebunt, quan-
quam hîc facile suffragemur. Augustino
lib. 18. de Civ. Dei c. 47. Nihil est firmitus
ad convincendos quoslibet alienos, si de
hac re contenderint, nostrosq; fulciendos

si re,

si rectè sapuerint, quàm ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt codicibus, quibus avulsis de sedibus propriis, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi usquequaq; crevit Ecclesia. Sed hæc de Sibyllis; De Prophetis, Apostolis, aliisque θεοπνευστοῖς viris aliàs acturi sumus.

§. IV. Revelationis finis est tum *Finis re-*
 medius, informatio hominis de *velatio-*
 rebus, quas Deus ipsum scire vult, *nis.*
 tum ultimus, salus æterna: quæ
 vel directè, vel indirectè saltem
 respicit & intendit revelatio.

Quod i ad *intermedium finem, infor-*
mationem, ea vel facit ad sapientiæ cœ-
 lestis & supernaturalis cognitionem,
 quæ extra revelationem divinam con-
 stare nequit, vel ad *perfectionem & cer-*
titudinem sapientiæ humane & natura-
lis, uti non pauca sunt divinitus revela-
 ta, quæ cum naturali quoq; cognitione
 nobis constet, à DEO patefacta perfe-
 ctiori & certiori cognitione appre-
 henduntur. Illa primò intenditur à
 DEO per revelationes, hæc tantum
 secundariò & quatenus suo modo
 ad illam revocatur, quandoquidem
 & ipse

& ipsa naturalis cognitio reducatur ad sapientiam coelestem tum ratione γνώσεως, ut DEI sapientiam, bonitatem, potentiam, providentiam agnoscamus, tum ratione παράξεως, ut ad DEUM celebrandum & colendum magis magisque excitemur & instigemur Job. XII. v. 7. seqq. ψ. XIX. v. 2. seqq. ψ. CXLVII v. 5. seqq. ψ. CXLVIII v. 3. & seqq.

Quod ergo 2. ad finem ultimum, salutem hominis aeternam directe respiciunt eae revelationes, quae de fide rebusque ad salutem per se necessariis fiunt, indirecte autem aliae, quae non faciunt per se ad fidem salvificam, ut sunt revelationes de temporalibus, de statu externo, itemque de rebus Naturalibus, & id genus aliae, quae tamen etiam ordinantur divinitus ad salutem hominis ceu finem ultimum. Distingvuntur itaque revelationes divinae a vaticiniis diabolicis utroque fine, cum haec neque informationem, neque salutem hominis verè intendant, sed tum errores, blasphemias, scelera, superstitiones, idololatrias &c. tum perniciem & interitum hominis, partim temporalem, par-

Distinctio
revelatio-
nis divi-
nae à Dia-
bolicâ.

partim & præcipuè æternum. Sic *Teresia* vaticinium promittebat *Thebanis* victoriam, sed eâ intentione & lege, ut *Creontis filius* mactaretur. *Calchas* prædicebat excidium *Trojæ* & successus felices, sed jubebat simul *Agamemnonis* filiam immolari, cujus generis plurima extant documenta & exempla, quod vel *idolomaniam*, vel *ἀνθρωποφῶν* av, vel alia crimina, aut *falsorum dogmatum instillationem* & *confirmationem*, *veritatisq; suppressionem* intenderent oracula & vaticinia Diabolica; non *veritatem* aut *salutem hominis*. Quamquam non diffiteamur, quandoque Dæmones coactos etiam vera dixisse & conscientiaæ terrorē metumq;ve judicii divini veritatem ipsis invitis expressisse, uti confessi leguntur *Filium DEI*, & *Ministerium Evangelicum* Apóstolorum exhorrescentes ac reformidantes, cum *vim* & *potentiam Christi*, *efficaciamq; Ministerii*, tum *sui condemnationem* & *expulsionem*.

§. V. Revelationis materia varia; alia revelationes sunt meræ fidei, de his, quæ nota sunt extra divi-

Revelationis materia.

divinam revelationem, aliæ sunt mixtæ de iis, quæ partim revelationis nota sunt beneficio, partim aliunde cognita sunt. Illæ rursus vel circa fidei articulos versantur, vel circa præcepta & instituta divina, vel circa vaticinia de rebus futuris, vel circa historias, de præteritis aut præsentibus. Hæ autem de rebus naturalibus fiunt, aut de moralibus &c.

Quum omnis generis objecta sub divinam cadant revelationem, distinctionem etiam sortiuntur revelationes à materiæ varietate. Quod autem non tantum ea, quæ puræ fidei sunt, sed & alia, quæ aliunde quoque cognita sunt, divinis revelationibus quandoque exhibeantur, docent in Sacris literis comprehensa plurima *naturalia & moralia*, quæ extra revelationem divinam nota sunt: quæ sine dubio eò fine revelationibus inferere voluit divina sapientia, ut *tum veritati cognitionis nostræ naturalis* testimoniū luculentū perhiberet, *tum* eandem quoque ulterius perficeret, cum etiam *ἡλεείωσις* ista ad finem

pri-

primum revelationum facere possit. Non desunt equidem, qui revelationes de rebus Philosophicis factas, utpote cū in S. literis occurrunt *Physicalia* & id genus alia *Philosophica*, parū certas judicent, nec ex iis apodictica argumenta peti posse admittant, sed *Topica tantum* & *probabilia*, eō quod divinæ revelationes per se non intendant rerum naturalium cognitionem, sed nostram ad salutem informationem; verū hi non obscure derogant *divinæ veritati*, *cepticamq;* & *Pyrrhonicam* vel *Academicam* introducunt *Theologiam*. Si enim non infallibile, sed *probabile* tantum argumentum petitur ē divinis revelationibus etsi luculentissimis, vel ē DEI verbo, utiqve ea, quæ Deus edixit & testatus est, non censenda erunt infallibilia, sed *probabilia tantum*, adeoq; testimonium ab autoritate divina in nonnullis erit saltim *probabile*. At *absurdum*, imò *impium* est *testimonium* divinum non mereri *fidem* divinam, autoritatem divinam ipsius DEI loquentis (de quibuscunqve rebus loquatur) non esse prorsus infallibilem omniq; exceptione *superiorem*.

Deinde

Deinde admissio semel hoc *Pyrrhonismo* in illis, quæ divinitus revelata sunt, omnia revelata, etiam quæ ad fidem & salutem pertinent, redduntur *Pyrrhonice* dubitationi obnoxia, & in Academicam probabilitatem vel incertitudinem potius abit tota Theologia. Si enim principium *Theologiae* (*revelatio divina*) non est usquequaq; infallibile, indubium & prorsus ἀναιρετόν, sed in quibusdam tantum probabile & topicum, utique nullæ conclusiones *Theologicae* erunt infallibiles & indubiae, quia fieri non potest ut Conclusio certior sit principio suo genuino proprio atque unico. Si hoc axioma quicquid DEUS dixit, infallibiliter verum & fide divina credendum est, non sit universalissime veritatis, sed particulare reddatur & indubium, eò quod nonnulla à DEO dicta & prolata sint quæ saltem probabilia, nec fide divina quam oportet plusquam apodicticam esse, credenda sint, quæ poterit firmiter subsumi & concludi in Theologia de ullo eorum, quæ proponuntur in Verbo DEI, quod infallibiliter verum, fidequæ divina acceptandum sit.

Actum itaq; erit de Verbi DEI certitudine & autoritate, ubi enim quædam occurrunt incerta nec autoritatis infallibilis, unde de cæterorum certitudine & infallibili autoritate constabit?

Admisso in tantum autoritatis fastigium aliquo mendacio (vel dubio nec infallibiliter certo) nulla particula horum librorum manebit, quæ non possit in dubium revocari, dicente Augustino Epistola octavâ. Accedit, quod axioma istud primum & supremum Theologiæ principium non nitatur intentione illâ, quod DEUS revelet aliquid ad hominis salutem æternam, ut scil. eâ tantum infallibilia credenda sint, quæ faciunt directè, propriè & per se ad hunc finem, sed ipsa DEI immutabili & infallibili veritate, quod fieri non possit, ut DEUS mentiatur Ebr. VI. vers. 18. vel etiam ut non sit omninò quàm certissimus & quàm maximè infallibilis in his, quæ revelat, unde oportet etiam omne DEI Verbum (de quacunque re fiat) esse quàm certissimum & quàm maximè infallibile. Denique parum abesse videtur hæc scepticorum quorundam ἀπορία à Sociniana ἀπίστια

quâ CHRISTUM & Apostolos statuitur coactos fuisse quodammodo hominum opinionibus, quæ tunc plerumq; vigeant, sese accommodare fieriq; potuisse in quibusdam, ut divinorum Scriptorum alius alio veritatem melius tenuerit, & nunquam leviter erraverit in his, quæ minime spectant ad res credendas, vel faciendas. Vid. Socin. de autoritate Scripturae p. 14. & 77.

Revelat. §. VI. Revelationis divina
divin. forma est Θεοπνευσία, per quam
forma. revelatio divina est, quod est.

Divina inspiratio consideratur vel ut principium & causa efficiens revelationis, quia est actus DEI inspirantis, vel ut forma revelationis, aut verbi revelati. Nam constituit Θεοπνευσία formaliter Verbum DEI in esse verbi DEI: idq; distinguit etiam specificè, ut ita dicam, à quovis alio verbo, nim. Angelico vel etiam humano. Unde & autoritatem & dignitatem vimq; omnem nanciscitur DEI Verbum Θεοπνευσία. Quicquid autem rem constituit formaliter & distinguit specificè & proprietatum vel ἀρχημάτων proprio-

priorum rei causa est, id formam rei dicimus, ut analogicè terminum hunc ampliemus & applicemus. Dicitur autem hac de forma pluribus de Sacra Scriptura ceu præcipua revelationis Divinæ specie, quam Apostolus *Ἑβραῖος* dixit 2. *Tim. III. 16.*

§. VII. Opponitur Revelationi Divinæ Revelatio Diabolica, quæ mentitur speciem divinæ revelationis ad seductionem humani generis.

*Oppositi
revelat.
divin.*

Si uspiam aliàs, certè in revelationibus *Diabolus est simia DEI*, quod tot & tam variæ ejus revelationes abundè testantur, quas pro divinis suggestit, tum in Ecclesia tum extra Ecclesiam. Quod ad has attinet, occurrit varia genera revelationum, cum primis in *gentilismo*, de quibus maxime celebrantur *χρησμοὶ* & *χρηματικαὶ μαρτυρίαι*, *θεοπροπία*, *θεομαντεία* seu *ομαντεία*, quæ fuere responsa vel à Dæmonibus ipsis, voce, sonitu, nutu, gestu, vel somniis data, vel ab hominibus Diabolico spiritu afflatis prolata ad eludendum divina oracula & *φανεροῦς*

*Diabolicæ
revela-
tiones.*

divinas, cum primis eas, quibus DEUS ex altis locis & alta specie locutus est Patribus. Qvalia fuere in Lybia Jovis & Hammonis, in Græcia Dodonaum, ceu antiquissima omnium, annotante Herodoto, quorum illud eo loco positum fuisse, in quo antea schola præcipua Cham vel posterorum ejus hoc in quo sedes familiæ & Ecclesiæ Dodanum nepotis Noæ, ex filio Javan extiterit, conjecturis ducitur Peucerus de Divinationibus p. 192. unde postmodum alia plurima patefacta Pythium seu Delphicum, Trophonium, Sabeum, Apis Ægyptiorum, Amphiarai, Pharense, Antiochenum & præcipuè in Græcia maxime pronâ in superstitiones, multa, de quibus vid: Peuc: de div. & Selden: de Dis Syrorum. Quæ quidem Plutarchus non adscribit Dæmonibus sed terræ, quæ vi aliquâ divinâ incitata vaticinos anhelitus ediderit, quibus mentes afflatæ fuerint, non secus ut terræ nitrum, sulphur, & id genus alia gignunt & exhalant. Certiora etiam responsa prodiisse, quo acrior, purior & elaboratior terra fuerit, nec alia causa consiluisse tandem oracula judicant quam

quam quod vetustate vis terræ omnis exoleverit, ut amnes exarere cernimus. At ineptissimum est cieri *αὐαθημαδῶεις* effectrices notitiarum argutissimarum à terra bruta rationis sensusq̄ve experte. Sunt enim ea solius naturæ intelligentis & quidem ejus, quæ intimos etiã animorum recessus conjectat, & quæ venturos eventus quoque cognoscit in his, quæ vel ab ipsa reguntur, vel ex aliorum actionibus prævidentur; Ideoque nullum est dubium, cum oracula illa DEUM non habuerint autorem, profecta esse à *Dæmonibus*, quorum etiam luculenta vestigia & indicia supersunt, qui quidem spiritus sagacissimi, multa è Prophetarum prædictionibus prænoscere, utpote de regnorum & mundi fati, in multis etiam ipsi prævidere futura possunt, *tùm* quod ad ea, quæ ipsi gerunt, tentant & gubernant, *tùm* quod ad alia, ubi etiam ex stellarum positu & *ὑποσηματισμοῖς* & prodigiis divinis multa argutissimè hariolantur, *tùm* de communibus & publicis eventibus, *tùm* de particularibus etiam singularum personarum, quarum thema-

ra genethliaca & directiones exactius longè, quàm ullus Astrologus noverrunt, pensitatis simul earum ingeniis moribus ac temperamentis, quæ accuratius, quàm ullus Physicorum vel Medicorum explorant, quæ, si non certò, saltem conjecturaliter futura prædicunt. Quapropter etiam *ambibolus* vel *enigmatibus* involvunt oracula, ubi de eventibus dubitant, vel non omninò certi sunt.

Quod autem Oracula tandem conticuerint, divinæ tribuendum misericordiae, quæ Gentiles à cultu Dæmoniorum ad unius veri DEI cultum revocare dignata est, per præconium Evangelii in toto terrarum orbe propagati, & vocationem gentium ad regnum gratiæ. Ideoq; adventante Christo, qui apparuit, ut opera Diaboli destrueret 1. Joh. III. 8. secundum oracula divina Ezech. XXX, 13. & Zach. XIII, 2. cesserunt Dæmones horribili omnipotentiae CHRISTI & destructionis operum suorum ac condemnationis suæ æternæ jam imminentis metu.

De Theo-
mantia-

Præter Oracula occurrit apud Gentiles falsò ita nuncupata *θεομαντεια* in ludibrium Prophetiæ, veri Dei contu-

meliam hominumq; perniciem introducta, quâ ab Interpretibus Diaboli vel obsessis penitus, vel extra sese raptis, vel aliter à Diabolo edoctis, responsa edebantur. Differt ab *oraculis*, quod *hac* Dæmones ipsi ex locis certis reddebant, illa autem ab obsessis vel à Diabolo afflatis edita sit, qui quidem θεομαίνεις, uti nunquam sine furore ac perturbatâ mente responsa dabât, ita in triplici erant differentia 1. ἐγγαστριμυθοι vel obsessi ita dicti, quod intra sese pectori vel ventri inclusos spiritus vaticinos haberent, qui vel suggerebant vel compressis obsessorum linguis ipsi per eosdem offerebant vaticinia, qui & *Pythones* dicti, quod de ignotis rogarentur. In Ebraeo codice occurrit nomen צִנְא ab utre, quod *Pythones* ore clauso ex ventre responsa dederint. LXX reddunt ἐγγαστριμυθῶν ventrilo-
gus Levit: XIX. v. 31. c. XX. v. 6. Deut. XVIII. v. 11, 1. Reg. XXIII v. 3. 1. Par: X. v. 13. 2. Par: XXXIII. v. 6. Es. VIII v. 19. & ἐκ τῆς γῆς φωνῶντες Es. XIX. 13.

2. *Afflati ἐνθουσιασται, & ἐνθεαστικοί, Enthusiasta.*
 qui nō ab insitis Dæmonibus regebantur, sed per afflatum prædicebant, quibus *Pausanias* etiâ accenset *Orpheum*.

Enthusia-
sta.

Credibile autem est *Orpheum* multa
 ē doctrina Ecclesiæ ad *Ægyptios* com-
 municatione derivata (quibus cum
 conversatus dicitur) hausisse, uti *Poë-*
mata ejus doctrinæ divinæ eximiè con-
 sonant, quorum bona pars à *Justino*,
Clem: Alex: Lactantio, & aliis produci-
 tur. Annumerat etiam huic ordini
Peucerus Sibyllas, de quibus quid sen-
 tiendum jam exposuimus.

Ecstatici.

3. *Ἐκστατικοί*, quæ velut rapti extra
 sese sensuque omni & motu privati
 jacebant, & postmodum ad sese rede-
 untes, quæ à Diabolo indita erant
 prodebant, ad quos referuntur & *λυ-*
κάονες, vel *λυκάθρωποι*, qui per *ἔκ-*
στασιν in lupos sese verti credebant.
 Quomodo autem *ἔκστασις naturalis* ab
ἔκστασει Diabolicâ differat, *Peucerus*
 consuli poterit *lib: de div. pag. 108*. Re-
 ctissimè verò hanc falsam & insolentem
 incitationem *τῶν ὀπλάσεων καὶ*
ἀποκαλύψεων, quibus usus est Spiritus
 Sanctus, factam esse à maligno Spiritu
 creditur ad eludendum visiones divi-
 nas, quales in Prophetis & Apostolis
 observare est, ē quibus præcipuè emi-
 net raptus *Pauli* in tertium Cœlum

2. Cor. XII. v. 2. In quo quidem Thomas 22. qv. 72. art. 5. animam à corpore haud separatam, mentem tamen à sensibus corporeis alienatam fuisse censet. Alii animam potuisse separatam esse à corpore, ut nihilominus haud mortuus fuerit Apostolus. Alii dubium esse volunt, utrum unà cum corpore in caelum raptus fuerit, an verò anima rapti corpore relicto: uti Chrysostr. dubitationem Apostolicam exponit. Unde & Patres Ancyranæ Concilii cap. ult. maleficarum muliercularum errorem existimantium se cum suis corporibus multa terrarum spatia nocturnis horis pertransire, cum id tantum in phantasia per Dæmonum illusionem patiantur, hoc argumento inter alia refellunt, quod nec ipse Paulus audeat dicere se raptum in corpore, quod tamen August. l. 12. de Gen. ad lit. c. 3. & Thomas in Comment. negat, hunc sensum esse dubitationis Apostolicæ. Nam si unà cum corpore fuisset raptus in Cælum, utique sensibus corporis usus fuisset ad cognoscenda quæ illic erant, idque ignorare non potuisset. Qvicquid autem hic statuatur, divinâ factum

virtute, Diabolo certè animas eximere corporibus, ita ut vicissim easdem reddat, & dissolutam animæ & corporis compagem redintegret, impossibile censeri debet.

Referri insuper potest *Magia & γοητεία* ad revelationes Diabolicas, cum hoc artificio dæmones à confœderatis evocati aperiant & revelent, quæ expetuntur, quorum alii quidem *spiritus* habent, quos vocant *familiares*, & perpetuò secum circumferunt, veteribus *παρόδρυς* dictos. Alii cum opus est accersunt & alliciunt, unde *νεκρομαντεία*, cum à manibus ex ore adçitis futura sciscitantur; vel etiam ex inspectis lineis, figuris & signis in mortuorum cadaveribus prædictiones instituuntur, vel ex certo cadaverum contactu &c. cui geminæ sunt spatulamantia, cum per os hirci recens occisi divinatio instituta est: *λεκανομαντεία*, cum ex pelvi & aqua reddebantur per sibilum responsa. *Γαστρομαντεία*, cum per vitra diligenter inspecta imagines refulgebant, à Diabolo expressæ, quibus responsa exhibebantur: *κατοπτρομαντεία*, quæ ex speculis imagines

nes renitebant; *Crystallomantia*, quâ ex Crystallis expolitis vel etiam à Diabolo obseslis. *Dactylomantia*, quâ in annulis vaticinia representabantur. *Hydromantia*, quâ ex aquarum inspectione & observatione variis modis responsa petebantur. *Aëromantia*, quâ spectra in aëre futura edicebant. Κοσκινομαντεία, quâ cribro forcipi imposito res indagatae sunt, praesertim de autoribus scelerum occultis. Ἀξινομαντεία quâ vaticinia fiebant per secures. *Alectriomantia*, quâ indicio galli gallinacei occulta cognoscebantur. *Sciomantia*, quâ divinationes fiebant per umbras &c. Quibus accedit & *Hieroscopia*, quâ ex hostiarum consideratione & eorum, quæ circa sacra accidebant conjectatio facta est. Latini talium observatore *Extispices* & *Aruspices* nomine speciali appellârunt. Quod & Græci ἀπαισσκοπίαν dixerunt. Quamquam non tantum ab *extis*, sed & ex *hostiis* ipsis, antequam mactarentur, ex flamma & fumo, è farina, thure, & vino consecrato ad libamina omnia peterentur, unde exorta πυροσκοπία, καπνομαντεία, λιβανομαντεία, ἀνομαντεία, κριτομαντεία, itemq;

itemque ἄνθρωπον ἀνθεῖα, quæ è mactatorum hominum visceribus, autore *Heliogabalo*, instituebatur. Demeravit præterea *Diabolus Gentiles* ἰσομεύανθεῖα & ὀπιθεῖα, vel *aruspicina* & *augurio*, quæ ex cantu & volatu avium & tripudiis pullorum futura præsa-
 giebantur. Dicebatur *augurium*, cum *avium garritus*, *volatus* & *cantus* observati ad futuros rerum eventus: *auspicium* ex volucrum pastu, cursu & motu prædictio facta, quanquam non tantum ab *avibus*, sed etiam aliis animantibus talia omnia desumpta sint, ut & è *diris*, hoc est, iis, quæ fiebant in humanis corporibus, *domibus*, *agris*, *itineribus*, præter rationem & morem. Quorsum pertinent omnia ex sternutationibus &c. quæ tamen pleraque à sanioribus etiam gentilibus ceu vanitates stultæ reprobata sunt.

De Sortibus divinatoriis.

Sortes adhæc *divinatoriæ* in usu fuere apud *Gentiles* ad ignota elicienda, quæ numeris, formis elementorum, & mixtorum variis conjectatione fiebat, quas credebant aliquo gubernari numine, quorsum pertinet

πληρομαντεία seu πληρομαντεία, quâ
 tesellis talisque jactatis sortes capta-
 bantur, quibus characteres incisi erant.
Astragalomantia seu divinatio ex jactu
 astragalorum. *Geomantia*, quæ fit
 ex punctis & figuris sedecim sorte
 constitutis. Dicitur & *Geomantia*,
 cum ex signis & figuris in re aliquâ ter-
 restri extantibus fit conjectatio, ut
Hydromantia, cum ex iis, quæ in aquâ
 fiunt, prædictiones instituuntur. *O-*
nomantia & *Arithmantia*, cum ex no-
 minibus vel etiam per numeros fie-
 bat divinatio, quorsum pertinent
 distributiones Alphabeti Arithmeti-
 cæ. *Logarithmantia*, cum per nume-
 rorum progressionem fabricata sunt
 Oracula. *Τετραμαντεία*, cum ci-
 neri digito res, de qua divinatio fiebat,
 inscripta est, isq; sub patulum cœlum
 expositus, ut quæ literæ relinqueren-
 tur, eæ eventum docerent. *Botano-*
mantia ex salviæ foliis prædictio &c.
 Tandem occurrit & *ὄνειρομαντεία*, di-
 vinationo ex somniis passim in historiis
 celebrata, de quibus omnibus vid. pro-
 lixè *Peucerus de Divinatione*. Has
 omnes Gentilium divinationes non
 imme-

immeritò Diabolicis accensemus reve-
 lationibus, cum secundum Thomam se-
 cunda secunda quæst: 95. art. 2. omnis di-
 vinationis ex operatione Demonum prove-
 niat, vel quia expressè Demones invo-
 cantur ad futura manifestanda, vel quia
 Demones ingerunt se veris inquisitio-
 nibus hominum, ut mentes hominum
 implicent vanitate. Nec abs re creditur
 varia hæcce magiæ genera, *auguria, exspir-
 spicia, somnia*, è κακοζηλία Diabolica
 variorum miraculosorum χαρισμάτων in
 Ecclesia, *vaticinationum Prophetiarum,
 Sacrificialium ceremoniarum & somnio-
 rum Θεοπέμπτων* invecata esse in ludi-
 brium & contumeliam rerum divi-
 narum. Fuerunt & è Philoso-
 phis Gentilibus non pauci, qui divi-
 nationes rejecerunt, vel in totum,
 quod de Epicureis constat, qui omnia
 quæ de futuris prædicebantur, pro nu-
 gis habebant; vel ex parte, ut Peri-
 patetici, qui artificiosas divinationes
 reprobabant, naturales autem admit-
 tebant, uti è contra Stoici nullas
 prorsus divinationes rejiciendas cen-
 sebant. Quamquam verò Epicuri
 sententia minimè calculum mereatur,

tum ex causis naturalibus, vel etiam conjecturis quasdam præsentiones futurorum dari diffitendum non sit, quod exemplo *Astrologicarum prædictionum Genethliacarum*, & id genus aliarum *Physiognomicarum inspectionum*, *Meteposcopia* & *Chiromantia*, nec non *Onirocritica naturalis* & *Prognosticorum* è natura desumptorum, *Meteorologicorum* & *Medicorum* constare potest, non tamen vel Stoicorum more omnes divinationes admittendæ, vel cum quibusdam Philosophis animæ hominis facultas quædam naturalis divinatoria adscribenda, quam rectè negavit *Augustin. lib. 12. de Genes. ad literam c. 3.* Conf. *D. Balduinus Cas. Conscientiæ lib. 3. c. 6. casu 1.*

Quod porro ad *revelationes Diabolicas* in Ecclesia, ut omni tempore exit ad fallendum Diabolus, ita quodque spiritus mendax est in ore Pseudoprophetarum *1. Reg. XXII, vers. 22.* quandoque etiam futura prædicat per apparitiones in Ecclesia, ut ex historia Saulis constat *1. Sam. XXVIII. 17.* Ideoque studiosè cavendæ sunt apparitiones & præstigiæ Diabolicæ, nec

De revelationibus Diabolicis in Ecclesiâ.

nec fidendum prædictionibus ve
 etiam revelationibus, utut videantur
 aliquando ab Angelo bono profecta
 præsertim quoad res fidei, & ea, quæ
 Scripturæ interpretationem concernunt,
 cum Spiritibus attendere neglecto
 verbo ministerio sit à fide deficiente
1. Tim. IV. v. 1. & Diabolus se trans-
 formare possit in Angelum lucis
Cor. XI. 14. ut non facile constare
 queat, an bonus vel malus sit Ange-
 lus, qui apparet. Exempla videantur
 apud *Sulpitium Severum vita Mar-
 tini & Clement:* & apud *Job. Wierum
 lib. II, c. 6. de divinatione.* Nec verum
 vel ex habitu, vel ex apparitionis mo-
 do, vel etiam ex revelationis objecto
 facile est discernere Angelum bonum
 à malo: quum in his omnibus bono-
 rum Angelorum speciem mentiri possit
 sit Diabolus, qui etiam quandoque
 res bonas imperat, sed sine non bono
 jejunia, preces, orationes &c. Videtur
Bodin: lib. 2. de Dæmonomania c. 6. idem
 que præstigiis Diabolicis decepti sunt
 plerique, qui Angelorum visiones præ-
 stârunt, ut exemplo constat *Montani-
 starum* apud *Euseb: lib. 5. H. E. c. 15. Min.*

zeri & Anabaptistarum, ut & Weigelii & fanaticorum aliorum, nec non Zwinglii, qui in subsidio Eucharistico in depravatione verborum Cæne rō Est idem esse quod Significat, sese confirmatum esse à Spiritu jactitat, qui ater an albus fuerit se ignorare profiteretur. Adde & Pontificios, qui ad revelationes provocant in ordinibus Monasticis confirmandis, festis instituendis, aliisque sacris vid: C. si Dominum lib. 3. Clementinarum tit: 16. c. dua sunt, caus. 19. qv. 2. & Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice c. 18. lib. 2. de Ecclesia triumphante c. 3. ubi cultum reliquiarum probat ex revelatione. Conf. & Valerianus M. in Catholicorum credendi regula, quæ universæ fidei Pontificiæ, si nō unicum, certè potissimum fundamentum facit revelationes & apparitiones extra Scripturam factas. Revelationes Brigittæ publicâ autoritate approbatæ sunt. E revelationibus purgatorium, orationes pro defunctis, Missæ, sanctorum intercessio & invocatio, crucis veneratio, auricularis peccatorum omnium confessio, Mariæ immaculata conceptio, & in cælum assumptio aliq; Papalia dogmata probantur.

Contra
revelatio-
nes Pon-
tific.

1. *Scripturae auto-
ritatem*, quâ revocamur à revelationi-
bus & apparitionibus ad Legem & ad
Testimonium *Es. VIII. c. 19. ad Moſen &
ad Prophetas Luc. XVI. v. 29. Conf.
Deut. XVIII. v. 11.*

2. *Paulinum fulmen*, quo anathema-
te percutit Angelos de cœlo aliud Ev-
angelium annunciantes *Gal. I. v. 8.*

3. *Literarum S. perfectionem*, quâ
nullam admittit additionem *Deut. XII.
v. 32. Apoc. XXII. v. 18.* Unde nec no-
vam de novis articulis fidei vel morum
revelationem ferre poteſt.

4. *Petrinam cenſuram*, quâ reve-
lationibus ἀγερῶσι indubitato etiã
divinis firmiorem docet eſſe ſcriptu-
ram Propheticam 2. *Epistola c. I. verſ. 19.*
Quantò magis obſcuræ & ſuſpectæ re-
velationes remittendæ erunt, ut colligi
Estius in 3. Sententiarum diſt. 3.

5. *Fidei certitudinem*, quæ eſt Scri-
pturis Sacris unicè petenda *Job. XXI.
ult. 2. Tim III. 15.* nec innititur niſi re-
velationibus certò divinis, quales non
ſunt præterquam *Prophetica & Apo-
ſtolica. Innititur fides noſtra revela-
tioni Prophetis & Apoſtoliſ factæ, qui Ca-*

nonicoſ

nonicos libros scripserunt, non autem revelationibus, si quæ aliis Doctores factæ, inquit Thom: part. 1. q. 1. art. 2. Revelationes qualibet, dicente Salmer. T I Prologo 7. fol. 70. nisi scripto DEI Verbo consonent, pro suspectis Diaboli suggestionibus habenda sunt. Gerson. part. 1. operum Tract: de probatione Spirituum p. 106. Sint oportet, inquit, in omni revelatione Moses & Elias, h. e. secundum venerabilem Richardum Testimonia legis & Prophetarum, per totum alioquin suspecta est.

6. Diabolicam in revelationibus fraudem, quæ deprehenditur multiplex, partim è falsis apparitionibus, cum Diabolus per hujusmodi apparitiones fallendi homines sub prætextu quodam divinam occasionem captet, fatente Gretsero defensione I. append. p. 1893. per falsas apparitiones multos esse deceptos agnoscit cum Abulensi & Cajetano Greg. de Valent. Tom. I. diff. 4. col. 190. partim ex erroribus & hæresibus, quas per revelationes insinuatæ fuisse, fatentur ipsimet Pontificii. Salmeron, Montanum, & Novatianos per revelationes in errorem seductos, ut & Tertullianum.

animam corpoream esse è revelatione probantem agnoscit *Disput. 24. in 1. Johan. IV. cap.* partim ex hæreticorum ingenio, qui falsò jactitare confecerunt apparitiones, teste *Baronio in Annal. ad Ann. 97. num. 13.* quod in specie de *Elxai, Montano & Valente Ariano* suis locis docet. Unde cavendos esse fanaticos, qui jactitant revelationes, monet *Salmer: Disput. 25. in 1. Joh. 4.*

7. *Revelationum incertitudinem.*
 Revelationes vel fiunt per apparitiones Angelorum aut animarum, vel per inspirationes divinas, at omnes hæ incertæ sunt. *Inspiraciones divinas modernas, incertas ac fallaces esse agnoscit Bellarm: lib. 1. de Verbo DEI c. 2. & Ecclesiam nunc non regi novis revelationibus, sed permanere in Prophetica & Apostolicis docet lib. 4. de Verbo Dei c. 9.* Angelicæ apparitiones dubiæ sunt, quæ bonorum, quæ malorum sint Angelorum *2. Cor. XI. v. 14.* fateturque *Mart. Delrio lib. 3. disquisitionum Magic. p. 236. totam spirituum discretionem ex divina revelatione potissimum dependere.* Animarum apparitiones ipsis
 Ponti-

Pontificiis arbitris vel suspectæ, vel prorsus falsæ sunt, animas enim mortuorum non apparere in his terris è *Thoma* colligere est *part. 1. quæst. 110. art. 3. Salmero* illas ad loca sua deductas non reverti postea ad nos docet *l. c. Maldonat. in Luc. XVI. c. v. 29.* adducit *Chrysofost: Tertull: Athanas: Isidor: Theophyl:* qui prorsus negant animas mortuorum viventibus apparere, quod *id viventibus utile non sit, quodque ea res multorum errorum causa esse possit.* *Mendoza quæst. 5. Scholastica pag. 392.* observat ex *August: Chrysofost: & Ludovico Cælio,* Dæmones frequenter simulare, se esse animas mortuorum ad errores confirmandos. *Hieronymus Maginus lib. 4. Miscell. c. 12.* ea, quæ circa mortuorum sepulchra conspiciuntur, nunquam esse mortuorum animas sed *semper Dæmones,* asserit.

8. *Revelationum plurimarum falsitatem & absurditatem;* Quam absurdæ sint & ineptæ plurimæ, quæ in papatu jactantur apparitiones, dici non potest. *V. Valerian. M.* ineptiarum *Magister Capuccinus* inter recentiores *minimè postremus libro cit:* qui absq;

cachinno vel detestatione potius vis
 legi poterit. *Falsitas* deprehenditur ex
 dogmatibus falsis, itemq; è *revelationi-*
bus sibi contradicentibus, qvalis v. g. est
Revelatio de anima Trajani per preces
Gregorii ex inferno liberata, quam etiam
Salmero propugnet, reprobavit tamen
Bellarmin: lib: 2. de purgat. c. 8. Ita *Brigitte*
 revelationem dicitur habuisse de im-
 maculata conceptione Mariæ, ac con-
 trariam habuisse fertur *Catharina de*
Senis teste *Antonino*. *Mirandulanus* etiam
 argumentò rejicit *Brigitte* revelatio-
 nes, quod in iis ipsis contradictoria ha-
 beantur, animas in purgatoriò à *Dæ-*
monibus torqveri aliquas revelationes
 docere, alias negare *Bellarmin: doct.*
i. 2. de purg: cap. 13. &c. Sed
 hæc de istis.

¶ (o) ¶

CAPIT

CAPUT IX.

*De*FINETHEOLO-
GIÆ.

§. I.

Finis Theologiæ alius est ultimi- *Finis*
mus, alius Intermedius. Ulti- *Theol.*
mus vel absolutè talis, vel secundū
quid. Ille est gloria Dei, ad quam
ultimatō tendunt omnia.

Ut omnium rerum finis *ultimus*
DEI est gloria 1. Cor. X. v. 13. Col. III.
v. 17. ita cum primis Theologiæ, quæ
maximè facit ad illustrandam & am-
plificandam DEI gloriam. Quo e-
nim magis DEUS cognoscitur, eò
magis celebratur & glorificatur. Unde
autem magis habetur DEI cognitio,
quàm è Theologiâ?

§. II. Ultimus, secundum quid
nim: ex parte nostri est salus æter-
na, vel potius ad salutem æter-
nam perductio.

Theologia *Theologia* assignandum esse *finem* *finem* esse *Practicum* e natura habitus *Theologiae* *perductionem* ad *Practica*. Eundem autem *salutem* *salutem*, *eternam* vel *perductionem* ad *eternam* *eternam salutem* rectè constitui probatur.

hominum 1. è *sine Scripturae*, qui est ut *credentes* *salutem*. vitam habeamus *eternam* *Joh. XX. ult.* *c. V. 39. 2. Tim. III. v. 15.* qui enim *finis* est *Scripturae Sacrae*, idem *finis* est *Theologiae*, cum utraque versetur circa idem *objectum*, *Scriptura* proponat *fidei articulos* *σποραδικῶς*, vel *sparsim* *Theologia* eosdem *συστηματικῶς* & *methodicῶς*, & *ordinate* explicet. *Scriptura* suppeditet *materiam*, *Theologia* quasi *formam* addat & *juxta* *leges* *methodi* omnia disponat. *Scripturae* *principium* sit, *Theologia* *conclusiones* *principio* hoc *deductas* proponat, unde *unus* *idemque* *finis* est *utriusque*.

2. *Ex* *objecto speciali* *Theologiae*, quod est *homo*, quæ *perduci* *debet* *ad* *eternam* *salutem*, qui *uti* *per* *lapsum* *excidit* *eterna* *salute*: *ita* *in* *Theologia* *revelata* *docetur*, quomodo *vicissim* *ad* *salutem* *eternam* *aspicere* *possit*.

3. *Ex* *objecto generali*, quod est *religio*

gio & quicquid ad religionem spectat, quæ nihil aliud est, quàm ratio à DEO præscripta, quæ homo à DEO alienus, ad DEUM perducitur, ut eò æternum fruatur. Ideoque finis ejusdem est, perductio ad DEI fruitionem vel æternam salutem. Atque huc tendunt omnia, quæ in Theologia traduntur, quorum licet nonnulla videantur Theoretica, non tamen sub ratione Theorias, & mere contemplationis ergò proponuntur in Theologia, sed ob $\pi\epsilon\acute{\alpha}\zeta\eta$, utpote cura Dei, Angeli, vel hominis natura cognoscitur, nō id fit, ut in cognitione acquiescamus, sed directa potius est cognitio illa ad $\omega\delta\acute{\alpha}\zeta\eta$, ut Deo fruamur, $\iota\sigma\acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\lambda\omicron\iota$ evadamus, & ad beatitudinē homini destinatā adspiremus.

4. E fine fidei, qui est salus æterna 1. Petr. I. v. 21. Qvi enim finis est fidei, idem & finis Theologia est, fidem docentis; quod illustrari potest exemplo Ethicæ, in qua idem est finis virtutis & Ethicæ de virtutibus agentis. Adde quod fides sit finis intermedius Theologiæ, qui ad alium finem ceu ultimum dirigitur. Qvi ergò finis fidei est, ille ultimus etiam Theologiæ finis est. Ea sal-

tem hęc notanda est differentia, quod *salus æterna*, ut sic, finis sit fidei ad salutem tendentis, Theologiæ autem finis sit ipsa hominis perductio ad salutem.

Theologia est habitus Doctorum.

5. *E fine Theologi.* Nam finis Theologiæ & Theologorum est unus idemque. At Theologorum finis est non nuda cognitio sed *praxis & perductio ad salutem*, cum id agant Doctores & Ministri Ecclesiæ, aut certè agere debeant, ut homines ad æternam perducantur salutem adeoq; operentur circà hominem salvandum, unde *Salvatores* dicuntur *sentu ministeriali Amos IX, ult. Act. XI. 14. 1. Cor. IX. v. 22. 1. Tim. IV, vers. 16. Jacob V. 10, Judæ vers. 23.* Ubi etiam contra *Keckermannum* advertendum, quod Theologia spectari debeat, quæ habitus est Doctorum & ministerialiter salvantium, homines ad salutem perducendis non autem, prout habitus est perveniendi ad salutem. Ut enim Theologus non dicitur quicumque ad salutem æternam pervenit & perducitur, alioquin omnes salvandi dicendi fuerint Theologi, ipsi etiam *infantes*, sed qui alios ad salutem perducit vel habitu illo instru-

stru-

Fructus est alios perducendi; Sic *Theologia* vi conjugatorum non est habitus perveniendi sed perducendi ad salutem. Et ut *Medicina* non est habitus patientis, nisi fortè ex accidenti, sed Medici, adeoq; primò non est doctrina perveniendi, sed perducendi ad sanitatem. Sic & *Theologia* non est habitus salvandi & spiritualiter sanandi, nisi per accidens, sed Theologi & Doctoris alios perducentis ad spiritualem sanitatem. Ad Theologum ut sic, satis est habitus ille ad salutem perducendi hominem peccatorem, sive circa aliorum salutem versetur, seu suæ ipsius salutis rationem habeat, quod per accidens est ad Theologum quâ talem. Quamquam ne id quidem necessarium sit, ut Theologus ipso actu perpetuò occupetur, circa hominum perductionem ad salutem, cum aliud sit habitus esse Theologum, aliud habitum Theologicum exserere ipso actu.

6. E *Scripturae* testificatione. Quid multis? ipsa enim *Scriptura* nunquam non finem *Theologiæ* assignat Practicum, uti §. seq. patebit, cui contradicere nobis religio.

Refellitur Ex his ergo manifestum est erro-
sententia re à veritatis tramite, qui i. cum *Tho-*
Thomæ *ma part. 1. quæst. 1. art. 4. Theologiae fi-*
nem, partim speculationem faciunt, par-
tim operationem & magis quidem spe-
culationem quàm ἀπάξω, quod principi-
palius agat de actibus divinis, quàm
Finē tūm humanis. De quibus tantum agit
Practi- *secundum quod, per eos homo ordinatur*
cū tūm ad perfectam DEI cognitionem, in qua
Theoreti- *vita aeterna consistit. Sententiæ huic*
cum asse- *calculum adjicit Hervæus in Prologo*
rentis. *quæst. 4. Capreolus quæst. 2. Thom.*
Cajetan: part. 1. super Thomam artic. 4.
fic & Gregorius de Valent. 1. Disput. 1.
quæst. 3. Theologiam simul & Theor-
riam & Praxin agnoscere pro fine in-
nuit. Subscribunt & Calvin: Alsted.
lib. 1. præcogn: Theologorum c. 9. &
in Lexico Theologico p. 2. Job. Bergius
Decade Disp: disput. 1. th. 16. aliique. At
licet actus divini humanis digniores
sint, non agit tamen Theologia prin-
cipalius de divinis, sed informat po-
tius hominem, ut ordinetur & perducatur
ad vitam aeternam, fatente ipso
Thoma. Nec fieri potest, ut ultimus
finis sit partim Theoreticus, partim Pra-
cticus.

Practicus. Nam si est Theoreticus non potest esse practicus, cum contradictorie opposita sint, *subsistere ultimato in cognitione & non ultimato subsistere in cognitione, sed dirigi ad πρᾶξιν vel operationem naturā suā.*

2. Qui cum Bonavent: Prologo art. 1. quæst. 6. & lib. 3. sententiarum dist. 35. art. 1. quæst. 1. Theologiam simul & cognitionem & affectum dirigere asserunt, principaliter tamen in affectione consistere, adeoq; *medium quid esse inter purè speculativum & practicum.* At tale medium dari non potest inter contradictorie, id est, *immediate opposita*, ceu sunt speculatio subsistens in cognitione, & *Praxis* non subsistens in eadem. Et si Theologia in cognitione inchoatur, in affectione consummatur, quod vult Bonaventura, utique non subsistet in sola cognitione, sed ad πρᾶξιν dirigetur, adeoq; verè erit practica.

3. Qui cum Durando in prologo sententiarum quæst. 6. Theologiam, quatenus sumitur pro *habitu defensivo* dei simpliciter *speculativam* esse statuunt, adeoq; finem ejus *meram specula-*

2. Bonaventura,
medium
esse inter
purè spe-
culativ. &
practic.

3. Durandi,
quod sim-
pliciter sit
speculati-
va.

tionem assignant. Atqui defensivus illi fidei habitus non intendit nudam cognitionem, ut in ea subsistatur, sed Dei fruitionem & salutem, adeoq; naturam suam tendit ad προαζω.

4. Alior.
Crocii
&c.

4. Sunt, qui Theologiam Practicam esse agnoscunt, finem tamen minus accuratè assignant, ut Ludov. Crocius in Syntagm. Theologiae c. 1. p. 81. finem Internum faciens mysteria è Scripturis docere, explicare, demonstrare ac defendere. Externum vitam Dei, quam Deo subijcimus & obediunt, quam beatitudinem dicit hominis: cum nec in illa vita Dei beatitudo nostra consistat, quippe, quam Apostolus in remissione peccatorum collocat Rom. IV, 4. seqq. ita ut vita illa DEI consequens sit beatitudinis fidei, & rectius dicatur Theologia finis internus hominis perductio ad salutem, ad quam tamen facere etiam explicationem, demonstrationem ac defensionem dogmatum fidei, non diffitemur. Omnis enim functio Theologi, qua occupatur circa hominem ad salutem perducendum, spectat ad internum Theologiae finem. Cæterum officium Theologi non absolvitur solâ explicatione, demonstrat-

monstratione, defensione dogmatum, sed
& adhortatione, redargutione, consolatione
Rom: XV, v. 3. 4. 2. Tim. III. v. 16. Pro-
inde minimè adæqvatus est finis ille,
doctrina nempe mysteriorum fidei.

§. III. Porrò distingvendus
Theologiæ finis Cui & Cujus. Ille
est Deus, hic ipsa Dei fruitio, e-
jusdemq; glorificatio. Alii vocant
finem objectivum, & finem for-
malem.

*Finis Cui,
& Cujus.*

*Prius extra controversiam positum
est, ut enim rerum omnium *suprema ef-
ficiens Deus* est, ita *supremus & ultimus fi-
nis* unde in Theologia, quæ ut *Practica*
disciplina à *προγνώσει finis* procedit ad
media, primum *de Deo* ceu *sine ult. &
objectivò*, seu *sine ω*, vel *cui* agendum.
Posterius ex his, quæ jam dicta sunt,
manifestum est, quia *salus hominis eter-
na* est id, cujus gratiâ patefacta univer-
sa Theologia. Quò nomine etiam in
προγνώσει Theologiæ de *fruitione Dei*
tum *temporali* in hac vita, tum *cælesti* in
alterâ vita tractandum, ut cognito fine
rectè assignentur *media* ad finem ten-
dentia.*

§. IV.

Finis
Theolog.
intern.
& extern.

§. I V. Distingvendum infu-
per inter finem Theologiæ ex-
ternum & internum. Finis ex-
ternus est fruitio DEI, seu salus
& beatitudo hominis. Internus
est spiritualis medicatio vel ho-
minis ad salutem perductio.

Ille Finis Externus dicitur, quod non
sit in potestate Theologi, *beatitudo ho-*
minis, nec in ipsa Theologia obtineat-
tur, licet ad eandem directâ sit Theolo-
gia. *Hic Internus*, quia semper obti-
netur, quinimò hæc *medicatio spiritua-*
lis, hæc *propædis* homines ad salutem
perducendi, vel constituit Theologum
vel *functio* ejus propria est & *officium*
ipsius Theologi. Quamquam autem
Theologus non semper in eo occupa-
tur, ut homines ad salutem æternam
actu perducatur, *habitu* tamen isto in-
structus sit oportet homines ad salutem
perducendi, qui *naturâ suâ* eò tendit.
Estque id agere *proprium Theologi*
magis, ut ut sæpe functionem eandem
sanctissimè administratam non sequatur
tur ex parte *subjecti* finis ille *externus*
quem intendit *salus æterna*. De hoc
fini

fine interno passim Scriptura agit tùm *Finis In-*
in genere, tùm in specie. In genere finem ternus
 Theologiæ facit *hominum conversio-* *in genere.*
in nem, reconciliationem & saluationem
Act. XXVI. 17. 2. Cor. V. v. 20. Act. XI. v. 14.
1. Cor. I. v. 21. c. XV, v. 1. 1. Tim. IV. v. 16.
καταπιστευον Sanctorum, adificationem
corporis Christi Ephes. IV. v. 12. opus i-
psum, quo hæc peraguntur, & functio-
nem Theologorum propriam nuncu-
pat communiter διακονίαν ministerium;
& cum addito ministerium spiritus, mi-
nisterium reconciliationis, ministerium
justitiæ in gloria 2. Cor. V. v. 18. c. III. v. 8.
Oeconomiam vel dispensationem myste-
riorum DEI 1. Cor. IV. v. 1. Ratio est,
quia Theologi subordinantur DEO in
hac functione & operatione sibi pro-
pria; In conversione & salute hominum
ceu causæ ministeriales principali, æco-
nomi Domino suo, cujus virtute agunt
quicquid agunt 1. Cor. III. v. 6. Unde
etiam manifestum est Scripturam Theo-
logiæ finem non Theoreticum sed Pra-
cticum assignare, quo nomine Theo-
logi dicuntur ἐργάται operarii Matth:
IX, v. 38. 2. Tim. II. vers. 15. Speciales
 Theologiæ fines sunt, quicunque fa- *Fines spe-*
 ciunt *ciales.*

ciunt ad hominum conversionem & salutem, ut puta docere Matth. XXVIII. v. 19. Act. XX. v. 28. ad fidem perducere 1. Cor. III. v. 5. odorem notitiæ DEI manifestare 2. Cor. II. v. 14. Nomen DEI portare coram gentibus Act. XXVI. vers. 16. illuminare homines in mysteriis DEI Eph. III. v. 8. aperire oculos hominum convertere eos à tenebris ad lucem, à potestate Satanae ad DEUM Act. XXVI. vers. 17. Quæ qui practica esse negat Solem in meridie lucere negat. Unde vocantur Doctores 1. Cor. XII. vers. 28. Eph. IV. v. 11. Pastores Es. LXIII. vers. 1. Eph. IV. v. 11. qui Verbi DEI pabula alios pascunt, & requiritur ut sint didactici 1. Cor. VIII. 2. Tit. II. v. 9. Ad doctrinam pertinet veritatis cælestis defensio & adversariorum confutatio 2. Tim. III. v. 16. Tit. I. v. 9. diligens luporum ingredientium observatio & depulsio Act. XX. v. 31. Correptio perverse docentium 1. Corinth. II. v. 15. & seductorum 2. Tim. II. v. 15. &c. De quibus circa finem intermedium jam porro agendum.

Finis intermedium

§. V. Finis intermedius itidem distingvi potest in Internum & Exter-

Externum. Hic est fides hominum ad salutem perducendorum.

Per fidem quippe homo ad aeternam beatitudinem perducitur; ideoque fides intermedius finis Theologia rectè constituitur. Ille enim actus primò intenditur in Theologia, per quem homo ad salutem perducendus est, adeoque finis ejusdem est intermedius respectu salutis ceu finis ultimi. Talis autem est actus fidei Job. XX. vers. 21. 2. Tim. III. v. 15.

Externus

§. VI Internus autem est quavis functio Theologorum faciens ad fidem & salutem hominum, cum primis verò precatio, verbi divini prædicatio, Sacramentorum dispensatio, & disciplina Ecclesiasticæ administratio.

Internus

His enim mediis fides & salus hominum promovetur à Theologis tum in Ministerio Ecclesiastico constitutis, tum extra Ministerium docentibus. Hæ sunt functiones ipsorum propriae, ideoque fines intermediæ Theologiae rectè

dicuntur. Nonnulli plura officia
constituunt Theologorum & in *specie*
Ministrorum Ecclesie, addentes *vitam*
& morum honestam gubernationem, &
curam Ecclesiasticorum conservationem,
pauperum curam & egrotorum visitationem:
sed illa facile revocari possunt
ad cetera, quæ sunt Theologorum pro-
pria. Proinde perducuntur homi-
nes ad fidem & salutem à Theologi
1. *Precatione*, quâ & DEI benedictio
imploratur ad muneris administrati-
onem pernecessaria 1. *Cor. III. v. 6.* &
conversio, illuminatio, sanctificatio, salutatio
auditorum vel eorum, qui ad salutem
perducendi sunt, piis precibus obtine-
tur à DEO *Jer. XXIII. v. 3.* 2. *Cor. XIII.*
v. 7. *Eph. I. v. 15. 16. c. III. v. 14.* *Phil. I.*
v. 4. *Col. I. v. 3. 2. Thessal. I. v. 11.* *Jac. V.*
v. 16. & vel *Ecclesie toti*, vel *fidelibus*
sigillatim benedictio impertitur, quæ
peculiariter Theologis demandata le-
gitur *Num. VI. v. 23.*

2. *Verbi divini predicatione*, quod
annunciatur tum *communiter* quibus-
vis, tum *specialiter* certis personis. In
huc spectat *Scripturae interpretatio*, tum
scholastica & acroamatica, tum *Ecclesie*
suæ

stica & homiletica; & est Scriptura infor-
 matio, ut puta cum dogmata est Scriptu-
 ris demonstrantur, vindicantur, oratio-
 nes parænetica instituuntur &c. quor-
 um pertinent fines & usus Scripturæ
 Sacra, quâ eandem vel interpretamur,
 vel ad usum accommodamus, vel a-
 lioquin informationem est Scriptura
 instituentes quosdam eorundem fi-
 nium intendimus. Respiciunt autem
 illi vel doctrinam vel praxin. Quâ
 doctrinam aut simpliciter vera fidei do-
 ctrina proponenda & asserenda est,
 aut falsa expendenda & confutanda.
 Circa veri cognitionem occupatur
 διδασκαλία, ἐξοχικῶς (per excellentiam)
 ita dicta, circa falsi refutationem ἔλεγχ-
 ος. Quâ πρᾶξι τὴν actiones spe-
 ctantur τὴν passionem hominis Christia-
 ni: ibi opus est παιδεία vel informa-
 tione & ἀδουρτῶσι vel correctione
 & δεδουρτῶσι vel correctione
 & debortatione quoad malum fugien-
 dum. Hic παρακλήσεις vel conso-
 latione in quibusvis afflictionibus
 sustinendis & exantlandis V. Rom. XV.
 4. 2. Tim. III. v. 16.

Specialior verbi usus ad certas per-
 sonas directus est, quoad *institutionem*
 quorumvis statuum & ordines *Ecclesiasti-*
fici, Politici, Oeconomici; quoad *decisionem*
 quorumvis casuum in vita humana oc-
 currentium, *Ecclesiasticorum*, quorum
 pertinet rerum *indifferentium & rituum*
Ecclesiasticorum, itemq; *regiminis Eccle-*
siastici consideratio, Politicorum insuper
matrimonialium aliorumque conscientia-
casuum, qui sese iterum offerunt multi-
 farii è verbo *DEI* decidendi. Quoad
informationem certarum personarum, ut
 pote *egrotorum & morientium, tentatorum,*
& in conscientia afflictorum, obsec-
rorum, veneficorum, aliorumq; facinor-
osorum, qui ad supremum trahuntur
 supplicium, *pœnitentium absolvendorum,*
impœnitentium convertendorum,
hæreticorum ad Ecclesiam perducendorum,
candidatorum ministerii explorandorum
&c. Omnes hæ functiones
 Theologorum sunt, verùm, quia in his
 omnibus verbi informatio τοῦ πρῶτου
 obtinet, ideò ad *doctrinam & præconium*
 verbi rectè & commodè referuntur.
 Omnes autè hosce actus esse *præcticos*
 etsi *praxin* moralem præcise non in-
 ferant.

ferant aut concernant, (praxin enim in genere latius patere, quam praxin moralem quis nescit) luce clarius est.

3. *Sacrorum dispensatione*, ut putarum *Sacramentorum*, *initiationis* & *confirmationis*, tum *aliarum sacrarum actionum*, quales sunt *ritus ordinationis ad munus Ecclesiasticum*, *ritus copulationis*, *ritus exorcismi in Baptismo*, & id genus alii, de quibus in *Agendis Ecclesiasticis*, quorum rituum *observatio* Theologis incumbit, ut & *conservatio*. Quorsum etiam *cura pauperum* reduci potest, quæ omninò ad *evsλaζiav Ecclesiasticam* pertinet. Pensitet autem quis hæc iterum, & adhuc dubitet, anne Theologia Practica sit, finemq; Practicum habeat?

4. *Ecclesiasticæ disciplinae administratione*, sub qua comprehendo *vite & morum honestam gubernationem*, tum *quâ vitam ipsius Theologi & docentis*, quâ aliis exemplo præluere debet, seseq; gregi præstare typum. Habet enim, ut *obedienter audiatur*, quantacunque *granditate dictionis majus pondus vita docentis*, monente *Augustinò lib. 4. de doctrina Christiana c. 27.*

Ideam videas in institutione Ministerii Apostolicâ Epistolis nim: ad Timoth: & Titum exaratis, & cumprimis 1. Tim. I. v. 18. c. III, v. 2 seqq. c. IV. 7. c. VI. v. 11. 2. Tim. II. v. 15. Tit. I. v. 7. c. II. vers. 7. tum etiam quâ vitam auditorum & discipulorum, ad quam requiritur sedula inspectio Ecclesiastica, visitatio, lapsuum sive doctrinae seu morum observatio errantium & peccantium in viam redemptio, coercitio, redargutio, clavis ligantis & solventis legitima usurpatio, quâ clavis potestatis nihil operetur sine clavis scientia & discretionis, dicente Hieronymo in c. 16. Matth: Et ad hocce fines plerosque alios, si qui adhuc occurrunt, non incommodè reduci posse arbitramur. Omnes autem illos fines verè Practicos esse, adeoq; Theologiam iterum non Theoreticum, sed Practicum habitum agnoscendum esse, docere ac clamitare quasi λευκάδι φωνῆ nemini jam obscurum esse potest. Tantum itaque hac vice de fine Theologiae.

CAPUT X

DE FORMA ET GENERE
THEOLOGICÆ.

§. I.

Forma Theologiæ è genere colligitur, nec non è differentia specifica, quæ partim è causis externis, partim etiam ab objecto petenda.

Cum *forma* det esse rei in eaque natura & essentia rei consistat, utiqve rectissime, quænam forma sit Theologiæ, colligo è Theologiæ *genere & differentia specifica*, quibus explicatur natura ejusdem. Cæterùm in *habitibus* definiendis peti solet differentia ab *objecto*, nec non à *causis externis*, ideoqve, cum jam actum sit de externis causis, restat ad assignandam specificam differentiam adhuc expendendum *objectum*, de quo sequenti capite. Nunc verò de *genere* Theologiæ agendum erit.

Genus re-
motius
Habitus.

§. II. Genus inquirendum tum remotius, tum propinquum, tum proximum. Remotius est habitus mentis vel intellectualis.

Remotissimum genus, quod nempe Theologia ex *accidentium* numero sit, omni caret controversia. Quod autem qualitatibus & quidem habitibus accenseri debeat vel *è qualitatibus & habitibus definitione* liquet. Quod porro non sit *corporis*, sed *animi* habitus, non *moralis* sed *intellectualis*, per se manifestum est; quandoquidem omnino ad *τελειώσεις* mentis nostræ spectet. Modò observetur, quod Theologia considerata sit non prout in *libro* est *signativa*, sed pro ut in *animo* est *subjectiva*. A Theologia enim denominamur Theologi ceu forma denominante, proinde Theologia est in animo hominis Theologi ceu in subjecto, quod denominat. Errant itaq;

Reprobatur Doctrina.

1. Qui genus ejus assignant *doctrinam*, utpote Petrus Ramus in *Comm: de relig: Christiana* p. 6. David Pareus *Colleg. disput. Theologicarum* disp. 5. Georgius Sohnius *Synopsi Theologiae. Tom. I. operum* p. 66.

p. 66. Amand: Pol: in partit. Theologicis lib. 1. de fide, Dan: Tilen: Syntagm: 1. disp. 1. Ravensperger. in Synt: Theologia, Matth. Martinus in Isagog. Theologiae p. 7. Alvingius Loc. Com. p. 4. Marc: Frid: Wendelin: Christiana Theologia p. 1. quorum sententia accedunt Dn. Chytraeus in Catech: & Dn. Schröd: lib. de principio Theologiae. Atqui doctrina 1. est relativum quid: à Theologia verò absolute denominamur Theologi citra relationem. 2. Accidit Theologia, ut doceatur & discatur, quemadmodum Physica vel Metaphysica, ut doceatur aut discatur, accidit. Genus autem est de essentia definiti. 3. Theologorum quid est docere, sed hoc ad finem spectat Theologiae, qui est extra essentiam rei: Estq; omnino Theologus, et si actu non doceat, dum habitu saltem docendi sit instructus. 4. Nonnulli per doctrinam illam intelligunt ipsum Dei verbum. At verbum Dei est principium Theologiae & ad causas externas pertinet, ideoq; genus Theologiae esse nequit, cum nullum principium sit genus speciei suae 4. Topic. c. 1. 5. Assignant pleriq; doctrinam pro genere proximo, at nimis late patet doctrina, & communis est omnibus facultatibus.

Errant

Discipli-
na.

Errant 2. qui genus constituunt disciplinam cum *Matth. Martin: in Epit. Theologiae lib: 1. p. 27.* At quancquam disciplina dici consueverint omnes habitus adeoq; & Theologia recte dicatur disciplina, non tamen definitio est disciplina, ita ut haec illius sit genus, cum 1. disciplina referatur ad praedicamentum relationis. 2. Accidat Theologiae ut discatur vel non discatur. Genus autem verum non est, *sint quo species esse potest 4. Topic. c. 1.* 3. Commune sit omnibus facultatibus & habitibus, ideoque pro genere proximo haberi non debeat, ut *Martin: contendit.*

Institutio.

3. Qui genus faciunt institutionem *Juris Coelestis*, ut idem *Martin: Isag. Theologiae p. 7.* E contra institutio vel reducitur ad revelationem, vel ad actionem, utrovis modo accidentalis est ipsi Theologiae, simulque nimis late patet, aequè ut doctrina vel disciplina.

Revelatio.

4. Qui per ἀποκάλυψιν vel revelationem definiunt Theologiam cum *Pelargo in Compend:* At revelationis vox 1. ambigua est, ideoque non debet in
defi

definitione collocari 6. Topic. c. 1. 2. Revelatio actio est, Theologiam autem actionem esse, & quidem definitivè loquendo, absurdum. 3. Revelatio est principium Theologiæ, non ergo est genus ejusdem.

5. Qui agnitionem veritatis loco generis assignant. Atqui agnitione veritatis ambiguè dicitur, & vel habitualis intelligitur, vel actualis. Si illa, cur non uno verbo habitus absque ambiguitate genus ponitur. Si hæc, genus verum non est, cum Theologia non sit in prædicamento actionis sed habitibus. Si verò urgeatur, quod ad scripturam magis accedat illa definitio, quæ per agnitionem veritatis definitur. Resp. 1. in Scripturis non laborari de assignando proprio genere, dummodo res ipsa describatur. 2. Nec nostrum genus à Scripturis alienum est, cum Theologia definiatur per ἐξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διακρίσιν καλῶ τε καὶ κακῶ Ebr. V, ult.

§. III. Genus propinquum est habitus Practicus speciatim ita dictus.

Distinguuntur habitus mentis in Principales & Instrumentales, in Theoreticos & Practicos. Theologiam habitum principalem esse, non autem Instrumentalem omnes agnoscunt, cum principem etiam disciplinarum primum eandem confiteantur. Cur autem non sit Theoreticus sed Practicus habitus, id demonstramus 1. *à fine*. Cujus disciplinæ finis est practicus, ea est practica, quandoquidem *à fine practico* dependeat ratio formalis disciplinæ practica; at Theologiæ finis est practicus tum externus, DEI fruitio, tum Internus & intermedius, hominum conversio, & ultimus, ad salutem æternam perductio. E. 2. *Ab objecto speciali*; Quæ disciplina versatur circa objectum, non demonstrationis, sed operationis, ea operativa est non speculativa. At Theologia versatur circa objectum non demonstrationis, sed operationis, quippe quod est homo, non quæ aliquid de homine demonstratur, ut in Physicis, sed quæ beandus est & æternum salvandus. 3. *A mediis*. Quæ disciplina media certa proponit, quæ faciunt ad finem à subjecto

Theologiã esse habitum practicum evidetur. 1. *à fine.*

2. *ab objecto speciali.*

3. *à mediis.*

obtinendum, illa omnino est practica. At Theologia proponit *certa media*, quæ faciunt ad finem, utpote DEI *fruitionem*, à subjecto homine peccatore obtinendam, qualia sunt ex parte DEI, *Verbum & Sacramenta*, ex parte hominis *fides*. E. 4. *Ab ob- 4. Ab ob- jecto generali.* Quicquid enim in *nerali.* Theologia cōsideratur, id aut *merè practicum* est, aut certè nō aliā ratione *xi* *ejus & propriè* ibidem tractatur, quàm prout *ωπάξω* respicit, adeoq; omnia, quæ sunt Theologicæ *tractationis*, vel *actū* sunt *practica*, vel ad *ωπάξω* *virtute* diriguntur, ut *circa finem* monitum & ex inductione manifestum. Proinde oportet Theologiam ipsam esse disciplinam *practicam*. 5. *A functione 5. à functione Theologorum propria.* Cum enim *Theol.* Theologorum functiones, quæ Theologi sunt, naturā suā *practicæ* sint, *practica.* Theologiam, à qua illi denominantur, *practicam* esse oportet. Illud autem liquet ex omnibus functionibus Theologorum quæ talium, *sive doceant, sive adhortentur, sive debortentur, sive consolentur, sive penitentes absolvant, sive Sacramenta dispensent, seu examina-* *insti-*

6. à Prin-
cipio The-
olog:

instituant, sive disciplinam Ecclesiasti-
cam exerceant, omnes hæ functiones ne-
cessariæ suæ practicæ sunt. quò de cap. præ-
pluribus actum. 6. *La principia*
Theologiæ, quod est revelatio divi-
na & speciatim ea, quæ Sacris literis
est comprehensa. Si enim *scopus* re-
velationis divinæ ceu principii Theo-
logiæ est Practicus, utiqve etiam ipsa
Theologia practica statuenda est.
Verum prius, cum omnia, quæ con-
tinentur in Scriptura Sacra, vel natura
suâ, vel certè intentione atqve ordina-
tione divinâ ad *praxis* spectent, & di-
rigenda sint *Johan. XX. v. 20. Rom. XV.*
v. 4. 1. Tim. III. v. 16, 17. 18. E. & Poste-
rius. 7. *A processu Theologiæ Ana-*

7. à Pro-
cessu ana-
lytico.

lytico. Cui disciplinæ proprius est pro-
cessus non *Syntheticus* sed *Analyticus*
ea Practica est, nō Theoretica. At Theo-
logiæ proprius est processus *Analyticus*
non *Syntheticus*; non enim à *causis sub-*
jecti procedit ad *affectiones demonstran-*
das de subiecto per causas, & ad *specie-*
subiecti, quemadmodum amant disci-
plinæ Theoreticæ processum ejusmodi
Syntheticum, sed potius à *præcognitio-*
ne finis & objecti progreditur ad *indaga-*
tionem

tionem & assignationem mediolorum ad finem facientium; uti plenius constabit e methodo nostra, qui processus verè est analyticus. E Practica est non Theoretica. 8. *A requisitis studii Theologici.* Cujuscunq; discipline requisita sunt *Practica*, non *Theoretica*; ea verè est *Practica*. At requisita Theologiae & studii Theologici propria, sunt non *Theoretica*, sed *Practica*. Ergò Theologia verè practica est. *Minor* patet inde, quod requisita sint *oratio, meditatio & tentatio*: quæ omnia hic esse practica, quatenus ad Theologiam faciunt, nemo ignorare potest, qui quid hæc requisita sibi velint, probè intelligit; Qui minus, legat de illis *B. Lutherum præfat. Tom. I. Oper. Germanic.* ac Theologiam practicam esse, non facile inficiabitur. Propugnant hanc sententiam, quod Theologia hanc Practicam sit *Scotus, Doctor subtilis dictus, & ejus sectatores*: item *Durandus*, (licet hic vocem Theologiæ distinguat), *Aureolus, Gregor. Ariminensis, & alii*: *Richardus de Mediâ villâ q. 4. Thom. de Argentin. q. 4. art. 2. magis practicam esse agnoscunt.* Ample-

8. *à requisitis studii Theolog.*

Et tunc imprimis nostram sententiam
 eamque solidè adserunt, quod sc. Theologia
 Practica sit, Dn. D. Balthasar Meisnerus part. 3. Phil. Sobr. Dn. D. Casp.
 Myslenta Collega quondam noster in
 dem. Regiomontana & Compater h
 noratissimus Disputationib. de Natur
 constitution. Theolog. aliisque judicio
 simi Theologi: quam reliquis etiam
 omnibus præfert Magnus noster G
 HARDUS ceu veritati magis consen
 neam; quam finis ultimus Theolog
 non sit nuda γνῶσις sed πρᾶξις;
 proinde omnia, quæ in Theologia
 fundantur, ad πρᾶξιν spectent, si
 immediatè & directè, tamen mediatè
 indirectè: probatque eandem è Scrip
 Matth. XII. 21. 24. 25. Luc. VI. 46. Jo
 XIII, 17. 1. Cor. IV. 20. 1. Tim. I. 5. ut
 autoritate Justini, Chrysostomi, Aug
 stini, Theodoretii &c. Exeg. t. i. p. 5. D
 D. Meisnerus sanè habitum mixtum pr
 mitus dixerat part. 1. Phil. Sobr. p. 46
 at part. 3. Sect. 1. p. 190. mentem suam
 correxit, maluitque Theologiam tantum
 practicam dicere, professus de
 Peggidas meliores, eò quod in qu
 stionibus abstrusis, præsertim ubi null
 habi

habetur, prævius manuductor, ad ἀρετή-
 τειαν primo statim tempore difficultè
 perveniri queat. Qui candor & ve-
 ritatis amor omni laude atq; imitatio-
 ne dignissimus est.

Diximus autem eandem habi-
 tum *practicum* *speciatim* ita nuncupa-
 rum, eò quòd *πραξις* soleat & genera-
 liter accipi, prout extendit sese simul
 ad *ποίησιν*, quo pacto habitus *practici*
 distingui consueverunt in *Theoreticos*
 & *Practicos* *speciatim* dictos. Illi sunt,
 quorum finis est *ποίησις* vel effectio, hi
 quorum finis *πραξις* est vel operatio,
 quæ à *ποίησει* à plerisque distingui-
 tur, quod *hæc opus* quoddam post se
 relinquat *sensibile* vel *materiale*, uti
 in *artibus mechanicis*, quæ propriè
 Poëticiæ sunt, videre est. Quamquam
 alii *generalius* dicant *ποίησιν* relinque-
 re *ποίημα* vel *ἔργον*, quomodocunque
 id sese habeat, *πραξις* verò in *ἐνεργείᾳ*
 subsistere, non autem *ἔργον* quoddam
 producere. Quamvis verò *fides* di-
 catur *ἔργον*, non tamen ejusmodi *ἔρ-
 γον* statui potest, quæ ad *artem* requi-
 ritur ceu *habitum poëticum* 6. Eth: c. 4.

Vocatur ἔργον τῆς Θεοῦ Johan. VI. quod
DEUS in nobis operatur, non v. quod
 in nostra potestate situm, vel ad quod
 nos etiam conferamus nostrum
 ἑαυτὸν μέρῳ. Adde quod subsistit
 Theologus in ἐνεργείᾳ nim. *medicatio-*
ne animæ, quæ etiam *finis est inter-*
Theologiæ proprius, ad quem licet
 quatur *fides*; ea tamen non obtinet
 propriè rationem ejus operis, quod
 de *essentiâ artis*. Quid? quod The-
 logus dicendus foret *artifex* prop-
 loquendo, si Theologia propriè *ars*
 set, & *habitus ποιητικός*, quod inco-
 veniens. Num autem terminus ille
 ποιήσεως ἔργου, vel etiam *artis* ampli-
 ri possit, ut κατ' ἀναλογίαν etiam
 conveniat Theologiæ, de eò in *Meta-*
dologia actum.

Reproba-
 tur senten-
 tia eorum
 qui Theo-
 logiã neq;
 speculati-
 vã, neque
 practicã

Reprobamus itaque hîc
 rum sententiam, qui Theologiam
 speculativam esse volunt, neque
 cam, sed affectivam, ut Ægidius de
 gentinã, Toletanus, & Richardus,
 hoc urgent potissimum, quod The-
 giæ finis sit amor DEI, ideoque The-
 giæ à fine sit affectiva dicenda. Ver-

si amor DEI est finis Theologiæ, uti esse volūt, quæ
 Theologia verè Practica est, nec sed affe-
 enim *πραξις* tantum dicitur, cuius di- Etivam.
 rectio cadit sub facultatem humani in-
 tellectus, sed quæcunque actio intelle- Quid pra-
 ctus practici suapte naturâ contingens, cticum?
 juxta dictamen practicum, sive cadat
 sub facultatem intellectus humani, sive
 eandem excedat, sive naturalis sit sive
 supernaturalis. Adhæc amor DEI
 non est adequatus finis, cum in Theo-
 logia non tantum DEI dilectio, sed
 & proximi intendatur, nec dilectio
 præcipuus finis sit, sed fides, quæ est
 fons veræ dilectionis. Amor DEI
 pertinet ad externos fines. Internus
 verò est perductio ad amorem DEI, quæ
 Theologorum propria, cum amor DEI
 non tantum Theologorum sit, sed
 quorumvis fidelium. Tandem re-
 pugnat illa opinio non tantum com-
 muni Scholasticorum sententiæ, Tho-
 mistarum, Scotistarum, & Nominali-
 um, qui etsi dissentiant inter se, ut-
 rum Theologia sit practica, an verò
 speculativa, omnes tamen consenti-
 unt, non esse utriusque rationis ex-
 pertem, sed etiam Philosopho, qui di-
 visio-

visionem habitus in *Speculativum* & *Practicum* ceu *adæquatam* tradidit *Metaph: textu 3. & lib. 6. tex. 1. ut lib. 3. de anima text. 49. 6. Et lib. 6. c. 1. &c.*

2. *Qui* 2. *Qui* *purè speculativam* faciunt
purè spe- *Theologiam, ut Marsilius, Henricus, &*
culativam *alii è Scholasticis, qui itidem eo mo-*
faciunt. *ventur argumento, quod finis ejus sit*

dilectio, vel etiam, quod finis sit vitæ
æterna. Verùm enimverò utraq;
pertinet tantùm ad finem externum. Illa
illa ad intermedium, hæc ad ultimum.
dilectio insuper statui non potest præ-
cipuus finis. Neutra denique consistit
in speculatione, sed potius in
praxi.

3. *Qui* 3. *Qui mixtam* faciunt, nempe
mixtam. *mul præctivam & speculativam, quam*
Christophorus Gillius Jesuita Conimbricæ
lib. 1. de Theologia tractat: 5. c. 11.
tribuit Thomæ, Bonaventuræ, Cajetano,
Javello, Tarentasio, Godofredo, Ri-
chardo, Hervæo, Occamo, Bacono,
Gabrieli, Sylvestri Hispalensi Carthu-
siano, Soncinæ, Capreolo, Medina-
Cero &c. Quos tamen in diversas par-

res abripi agnoscit, dum quidam supponunt cum Occamo, disciplinam non esse simplicem qualitatem, sed multorum habituum aggregationem. Quidam Theologiæ inesse rationem speculativæ & practicæ non formaliter sed æquivalenter tantum cum Medina asserunt. Alii autem non solum eminenter sed formaliter Theologiam esse simul Practicam & Theoreticam statuunt, quorum iterum nonnulli Theologiam magis practicam volunt, quam Theoreticam, cum Bonaventura, Richardo & Baccono; Alii autem plerique cum Thoma precipue Theoreticam, quibus calculum suum addit Gilhus.

Rationes autem, quibus in eam sententiam Scholastici tam denso agmine ruunt, si requiras, vix invenies solidas, præter autoritatem Thomæ & Bonaventuræ, quorum illum ceu Angelicum, hunc tanquam Seraphicum Doctorem poplite flexo omnes adorant & venerantur. Videamus potiores, sed ἂν βεβαίως.

Rationes
expēdun-
tur Scho-
lasticor:

Primò autem ita colligunt: Ne
repugnat rationes inferiores in pluribus
rebus sparsas reperiri sublimiori modo
conjunctas in re ordinis superioris. The-
ologia autem est Theologia respectu Philo-
sophia. At eà ratione concludi potest
Theologiam esse *speculativam*, *Præ-*
eticam simul & *practicam* vel *effectivam*
esse *intelligentiam*, *scientiam*, *sapient-*
tiam, *prudentiam* & *artem*, quia id
non repugnat rationes inferiores re-
periri in re ordinis superioris. Quid
etiam esse eandem & *Metaphysicam*
& *Physicam*, & *Mathesin*, & *Politicam*
& c. Hæ enim omnes rationes infe-
riores sunt respectu Theologiae. De-
inde nego, *id non repugnare*, ut *formal-*
iter reperiantur in eodem habitu spe-
cie oppositi habitus, vel ut idem di-
sciplinæ habitus unus specie in se
complectatur & *Habitus Theoreticus*
& *Practicus*; quod Gillius ipse conce-
dit de habitibus naturalibus cum aliis
Scholasticis. Disparem autem ratio-
nem esse habitus Theologici conten-
dit, sed absque ratione, quandoquid-
dem *practicum* & *speculativum*
differentiæ sint essentielles dividende
omne

omnes habitus intellectuales, non solum habitus *naturales*, ita ut utraqve ratio in uno habitu simul reperiri nequeat, ut pluribus docent *Scotus*, *Aureolus*, *Henricus*, *Lichettus*, *Maironius*, *Basolo*, *Toletanus*, *Argentina*, idque rectissime, cum impossibile sit differentias oppositas contradictorie, vel saltem habentes contradictionem necessario annexam & adæquatè dividentes aliquod genus, concurrere in unâ eademque specie, quales quidem differentia sunt ratio *speculativi* & *practici* respectu habitus & actus in genere.

2. Id inde arguunt, quod ex divina revelatione cognosci possint & *speculabilia in se*, & *agibilia propter se*. Verum licet quædam divinitus revelata videri possint *speculabilia in se*, reapse tamen ea in Theologia directa sunt ad *πραξις*, adeoque ob *πραξις*, non autem ob *nudam speculationem* divinitus revelata sunt, ut antea monitum.

3. Ita argumentantur; *Habitus ille, qui simul est sapientia considerans rationes æternas, & scientia considerans*

temporalia administranda simul est practicus & speculativus. At Theologia est talis habitus. E.

Resp. Misa illa αικυρολογία, quâ unus idemque habitus dicitur simul & sapientia & scientia, negamus primùm considerationem rationum æternarum inferre habitum Theoreticum. Nam & in disciplina Practica rationes æternæ considerari possunt, nempe, non ut in illa cognitione nuda subsistatur, sed ut ea ad praxin dirigatur. Respicendum ergo non tantum ad objectum, quod consideratur, sed & ad modum considerandi: unde porro asserimus, Theologiam non versari circa rationes divinas & æternas θεωρητικῶς, ut sola speculatione contenta sit, sed πρακτικῶς, ut omnia ad usum convertat atque dirigat.

4. Tandem hunc in modum concludit Gillius: Objectum formale complete fidem specificans, est prima veritas revelans, quò positò dari potest actus & habitus fidei, sive sub ratione agibilis, sive speculabilis objectum reveletur, quia ejusdem speciei actus est, quo Christianus

mus credit DEUM esse trinum, & quo credit, CHRISTUM esse adorandum, ex quo sequitur practicum & speculativum esse per accidens actibus fidei, adeoque & objecto Theologiae.

Resp. 1. Non respiciendum tantum ad objectum fidei, an illud sit speculabile, an verò agibile; Sed potius ad ipsam fidem ceu finem Theologiae, quæ utiqve praxin infert. 2. Actus fidei versatur circa diversi generis objecta, sed ita, ut non simplicem cognitionem inferat, vel solum assensum, quod malunt Pontificii, sed & applicationem & apprehensionem objecti, quæ est quid practici. 3. Ad fidem salvificam, ejusque actum proprium non est per accidens ratio speculationis vel *ωπάξεως*, sed consistit potius ea in ipsa praxi. 4. Ea quæ divinitus revelata sunt in se, quoad rem consideratam vel materialis ratione diversa quidem sunt, sed unitatem tamen quandam obtinent in Theologia ex parte modi considerandi & ratione formalis, quæ nempe faciunt ad æternam salutem. At à formali cōsiderandi ratione denominatur disciplina, non ab objectis materialibus

Rationes
Alsted. &
Bergii
exami-
nantur.

Ex his ergo satis patet, quàm frivola & infirmæ sint rationes, quibus Scholastici Theologiam adstruunt mixtam, partim *Theoreticam*, partim *Practicam*. Nihilo solidiores sunt, quas alii nonnulli adferunt, præsertim è *Reformatis*, Scholasticis assurgentes cum *Alsted: & Job. Bergio* ut & Anton. Walæo L. C. pag. 4. utpote i. à *principiis Theologiae*, quod alia ad solam veritatis cognitionem comparata sint, v. g. de *Creatione*, alia ad $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\upsilon$.

Resp. Prioris generis principia, etsi naturâ suâ videantur *Theoretica*, potestate tamen directa sunt ad $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\upsilon$, & $\pi\rho\acute{\alpha}\xi\iota\omega\varsigma$ causâ revelata sunt, ut cognitâ e. g. creatione DEUM Creatorem veneremur & colamus, ut ut *per se* practica non sint, ordinantur tamen ad *praxin* ejusque gratiâ, sive *primò* sive *secundariò* revelantur, si revelationes Dei que revelantis scopum respiciamus. Nec verò Theologus acquiescit in illâ cognitione nuda (v. g. *Creationis*, & similium) sed dirigit eam ad suum finem, cujus gratia etiam alia cognoscit.

2. *Ab objectis.* Quod quaedam sint in Theologia credenda, quaedam agenda, ideoque Theologia sit habitus mixtus.

Resp. Negando consequentiam. Quia fides ipsa non absolvitur sola cognitione, sed *πραξι* infert, adeoque credenda etiam *πραξι* respiciunt.

3. *A fine.* Quod Theologia sit non tantum informare actiones hominis sed & mysteria fidei patefacere.

Resp. 1. *A fine ultimo* potissimum denominanda est disciplina practica.

2. *Mysteria fidei* patefiunt, non ut in illorum *nuda* cognitione acquiescamus; sed ut vera & viva fide eadem apprehendamus.

3. Theologorum est adeoque & Theologiae non intendere *sotam* notitiam fidei, sed ipsam *conversionem ad fidem* & *salutem hominum*, ad quem finem diriguntur omnia in Theologia;

ideoque Theologia verè est practica, nequaquam autem *Theoretica* vel *mixta*.

4. *A munere Theologorum*, quod est duplex, vel *mixtum*, docere *γνώσιν ἀληθείας* & dirigere *πραξι* *εὐσεβείας*.

Resp. r.

Resp. I. Non ex æquo id competere
 Theologis, quorum munus ultimò re-
 spicit *πράξιν*, & propter hanc ejusque
 gratiâ intendit notitiâ; Non enim
 cognitionem Theologus intendere de-
 bet unicè sui causa, sed ut veritas co-
 gnita corde fiduciali apprehēdatur ve-
 ra autem & viva est praxis fidei, è qua
 porrò emanat, & consequitur *πράξις*
εὐσεβείας ceu *fructus verae fidei*. 2. *γνώσις*
ἀληθείας in Theologia non est merè
θεωρητικὴ, sed verè *πρακτικὴ*, quia
 perficit intellectum non *Theoreticum*,
 sed *Practicum*, non *intensivè* sed *exten-*
sivè, & importat, aut certè intendere
 debet fidem. 3. Proinde gemi-
 na datur *πράξις* in Theologia, nem-
 pe non tantum *Ἰησ εὐσεβείας*, sed eti-
 am *τῆς πίστεως*, quæ est *ἔργον* quoddam
 Johan. VI. eaque *πράξις* geminâ tota
 absolvitur religio. Quocircâ tota
 Theologia merè est *practica*, non ve-
 rò *mixta*. Quod illustrari potest ex
 Ethicis, itemq; Medicis, & aliis Pra-
 cticis disciplinis, in quibus datur scilicet
γνώσις, sed dirigitur ea ad *πράξιν*
 adeoque non est *θεωρητικὴ*, sed *πρα-*
κτικὴ. Qui novit discernere intel-

γνῶσιν & θεωρίαν, non dicet facile
 in practica disciplina quicquam theo-
 retici occurrere, tametsi extra con-
 troversiam sit, γνῶσιν in eâ locum
 habere. Dirutis ita fundamentis
 hujus sententiæ de habitu mixto, re-
 stat, ut rationes adducamus paucis,
 quibus eadem prorsus eliminetur ac
 reprobetur. 1. Si habitus *adequatè*
 & *sufficienter* distinguitur in *Theore-*
ticum & Practicum, utique addendus
 non est habitus quidam *tertius vel mix-*
tus. At verum est prius. E. & *po-*
sterius. *Assumptum* constat non tan-
 tum autoritate Philosophi, sed & con-
 sensu *Scholasticorum Theologorum com-*
muni, quem nobis hic largitur *Gillius*
lib. 1. Tract. 5. de Theologia c. 8. p. 242.
Ubi Aristoteles, inquit, prædictam bi-
membrem divisionem habitus in Theore-
ticum & practicum tanquam adequatam
tradidit 2. Met: tex: 36. Ethic. c. 1. lib. 1.
magnorum moralium c. 32. &c. quem
Theologi communiter sequuntur. Exci-
pit quidem Gillius, Theoreticum & Pra-
cticum adequatè dividere habitus solum
naturales; Theologiam autem esse habi-
tum supernaturalem. Verùm hæc ex-
 ceptio-

ceptione sibi ipsi adversatur Jesuita
 quum adversus *Argentiam*, Theolo-
 giam neque Theoreticam, neq; Practi-
 cam esse, ut ipse refert, asserentem
 contenderit, divisionem eam adaequa-
 tam esse habitus in Theoreticum &
 Practicum. Adversatur & veritati
 quandoquidem *omnis cognitio* vel
 Theoretica, vel Practica, sive sit na-
 turalis, sive revelata, adeoq; etiam
habitus in genere omnis vel theoreticus
 vel practicus. 2. *Differentiae con-*
tradictorie oppositae non possunt in una
eademque specie concurrere. At ratio
Theoretici & Practici sunt differentiae
 contradictorie oppositae, quia una con-
 tinet negationem alterius, siquidem
habitus speculativus subsistat in sola
 cognitione, *Practicus* vero non subsi-
 stat in veritatis cognitione, sed eam
 dem dirigat ad operationem. Replieat
 autem hic Gillius, *solam scientiam*
practicam adaequate surtam continere
negationem speculativam, & vice versa.
At Theologiam non esse adaequate pra-
cticam; sed utramque rationem con-
plecti.

Resp. fieri non posse, ut in una spe-

cie formaliter concurrant rationes e-
 jusmodi oppositæ etiam *inadequatè*
 saltem & *partialiter*. Negamus in-
 super Theologiam partè aliquâ esse
merè speculativam, nec referri ad alium
 finem, sed *ultimò sistere in ipsa verita-*
tis contemplatione; quia pars ejusmo-
 di in Theologia, quæcunqve sit, ulti-
 mò dirigitur ad *πραξι*, atqve ita re-
 spicit *finem practicum*, adeò ut nulla
 particula Theologiæ sit *merè specula-*
tivâ; quâ æstimantur ex ultimo fine,
 ob quem cognoscuntur. Quod si
 constaret Theologia partibus distin-
 ctis, aliis *merè speculativis*, aliis *practi-*
cis, non obtineret *unitatem suam for-*
malem, quippe, quæ æstimanda est ex
 ordinatione vel ad *unum objectum* in
Theoreticis, vel ad *unum finem*, in *Practi-*
cis, aut certè, una tantùm esset per
 aggregationem, quam *sententiam com-*
munitè reprobari ait Gillius. 3. Fines
 non subordinati sed singuli per se se-
 orsim intenti non possunt cadere in
 habitum unum per se. At Praxis &
 Theoria sunt ejusmodi. E. Regeritur
 hæc: *Tunc fines disparatos arguere diver-*
sitatem habituum, quando ex ipsis sumitur
aliquò

aliquo modo ratio formalis, quod hinc fieri
negatur. At perperam negatur
quia ratio formalis *habitus Theologiae*
revelatae viatorum omninò specifican-
dus est à *sine* revelationis divinitus in-
tento. Hinc etiam unitatem nanciscitur
habitus Theologiae, cum alias re-
velata diversi generis sint, quæ utique
oportet ordinari ad unum finem. Et
ratio est, quia unitas vel petenda à *sine*
vel ab *objecto* in disciplinis. Ab *obje-*
cto in Theoreticis petitur, à *sine* in
Practicis. Unde iterum hic excluditur
mixtus habitus, qui & Theoreticus
& Practicus. Quid? quod fieri non
possit, ut finis habeat annexas condi-
tiones oppositas, ut sit sola cognitio
non sola, sed etiam *ωπαξις*; ut idem
actus & *elicitus* sit à *scientia*, vel pura
objecti cognitio, & simul *imperata*
& *regulata* ab eadem, ut mens nostra
& *intensivè tantum* perficiatur, & simul
quoque *extensivè*. Quod si dicatur
repugnantiam solum esse ratione actus
eiusdem, at *diversos actus cognitionis* spe-
ctare ad *habitus Theologiae*,

Resp. *Diversos* quidem admittimus
actus, sed non *contradictoriè adversos*.
Omnes *actus* ad *Theologiam* spectantes
ita

ita cōparati sunt, & esse debent, ut non sint *pure* tātūm *objecti cognitiones*, si spectetur ultimus finis, sed simul inferant *directionem ad operationem*: non ergo citra repugnantiam Theologia dici potest & *Theoretica & practica*. 4. Idem objectum stare nequit simul sub ratione *operabilis & non operabilis*, regulabilis & nō regulabilis respectu ejusdē scientiæ. E. idem habitus esse nequit simul & *speculativus & practicus*, adeoq; nec Theologia simul Theoretica & Practica erit. *Consequentia* patet; quia cōditiones illæ ex parte objecti faciunt ad *specificationem rationis practica & speculativa*. Regeritur: fieri posse, ut unum idemq; objectū sub ratione formali per se ad *practicum & speculativum* indifferenter pertineat ad eundem habitum, sub ratione operabilis vel saltem *terminativi operationis*, & simul sub ratione *speculabilis*, si scil. ratio formalis ejus nature sit, ut ad utramq; considerationem se extendat.

Resp. Rationem formalem objecti disciplinae alicujus non esse indifferentem ad *totū speculabile & operabile*, sed restrictam vel ad *praxin*, vel ad *nudam contemplationem*, licet *materialis* objecti ratio indifferens sit. Sic in

Theologia nostra *materiale objecti*, quod est homo, indifferenter se habet, cum homo etiam sub contemplatione *Physicam* cadat, at *formali addito* cessat illa indifferencia, cum homo, *quod perducendus est ad eternam salutem*, amplius indifferenter se habeat *rationem speculabilis & practici*, sed omnino *πρᾶξι* importet.

5. Si Theologia est habitus mixtus partim *Theoreticus*, partim *Practicus* utique ordine etiam *mixto* tractandus erit, partim *Synthetico*, partim *analytico*. At absurdum posterius est. & prior *Consequentia* patet, quia methodus tractandi sequitur naturam disciplinae pertractandae. *Assumptum* verum probatur inde, quod nequaquam fieri possit, ut unica disciplina duplici doctrinae ordine tractetur, ob *oppositionem adaequatam Synthetici & Analytici ordinis*. Vid. Zabarell: lib. 1. de methodo c. 9. & lib. 2. c. 15.

6. Si Theologiae, neque objectum neque finis *Theoreticus* est, aut mixtus utique Theologia etiam non erit *Theoretica* aut *mixta*. At verum prius. & posterius. *Assumptum* probandum

ratione *objecti*, quod ab adversa parte
statuitur *Deus*, quia *Deus* nō simpliciter
& in sese spectatus *objectū* est Theolo-
giæ, sed vel quā, ut nōnulli id exprimūt,
imitabilis est ā nobis, quā nos reddēdi su-
mus consortes divinæ naturæ 2. *Pet. I. v.*
4. vel quā nos aeternū *Deo* frui possumus,
vel ut alii, quā *Deus* ā nobis glorificandus.
Finis verò juxta quosdam alius dicitur
objectivus, alius *formalis*: neutrius
autem ratione Theologia est *Theoretica*,
quia finis *objectivus* itidem *DEUS*
est ā nobis glorificandus aut imitandus,
formalis est ipsa hominis beatitudo &
aeterna *DEI* fruitio seu glorificatio, quæ
utiq; *Practica*, non *Theoretica*.

7. Denique, si Theologia est &
Theoretica & *Practica*, utiqve non
erit verè una formaliter disciplina,
quia *Theoria* & *praxis* nunquam pos-
sunt unam constituere disciplinam. Vi-
demus id in *Philosophia*, in qua con-
currunt & *Theoria* & *Praxis*, unde *Phi-
losophia* non est una quædam forma-
liter disciplina, sed est habitus ag-
gregatus constans pluribus disciplinis,
aliis quidem *Theoreticis*, aliis verò pra-
cticis. At consequens est falsum E. & an-
tecedens.

Except.

Gregor.

de Valent.

Regerit Greg. de Val. 1. distinguendo
Theoreticum & Practicum formaliter &
eminenter, quod nempe Theologia nō qu-
dem formaliter contineat differentias op-
positas Theoreticā & practicam rationem
quod admittit consistere non posse cum
unitate habitus, at tamen eminenter con-
plectatur easdem.

Resp. 1. Pleriq; alii ex adversa parte
 statuunt *Theologiam Theoreticā & Pra-*
cticam, non tantum eminenter, sed form-
aliter. Adversus ergo illos militat op-
 posita ratio ipsius Valentiani iudicio
 & confessione. 2. Differentiæ illæ di-
 sciplinis inesse debent nō tantum emi-
 nenter, sed formaliter, quia eas formali-
 ter constituunt inesse *Theoretici* vel
Practici, & formaliter ad invicē disci-
minant. 3. Si Theologia eminenter tan-
 tum est *speculativa & Practica* non erit
 in eo *formalis ratio* Theologiæ collo-
 canda, quod sit habitus mixtus, Theo-
 reticus & Practicus. Aliud enim est in
 eminenti, aliud *vi formalis rationis* quod
 esse. 4. Si Theologia eminenter *solū*
speculativa, formaliter practica, utiq; per
habitum practicum definienda erit. Si
 contrā formaliter *speculativa, eminent-*
 ter

ter practica, per habitum *speculativum* simpliciter definienda erit. Quicquid asumerit Jesuita, propria vineta cedit.

2. Regerit idem cum *Capreolo*, habitum mixtum non desinere esse unum, eò quod practicum & *speculativum* non sint differentia essentialia, sed accidentalia in disciplinis. At falsum hoc esse postulat pleriq; alii largiuntur, idq; manifestum est, quia differentia illa formaliter constituunt & distinguunt disciplinas specie diversas, id quod patet exemplo disciplinarum Philosophicarum, quarum alia sunt Theoretica, alia Practica, ita ut non tantum accidentaliter sub ratione Theoretica & practica distinguantur, sed essentialiter, communi suffragante consensu. 3. Alii respondent, *Theologiam* posse unam remanere disciplinam, licet sit & Theoretica & Practica, non secus atq; fides una est, licet etiam notitia constet & fiducia, quae practica est, & in intellectu sit & in voluntate.

Responderi potest 1. Alienam esse instantiam ab argumento nostro, quia fides non est *habitus intellectualis disciplinaris*, de quo argumentum nostrum solet.

2. Si à fide concludendum ad Theologiam (quod nonnulli hîc faciunt) sequitur Theologiam esse partim in prædicamento *relationis*, partim *qualitatis*, sicut *fides* consideratur & ut *qualitas*, & ut *relatio*.

3. Negamus fidei actum alium esse *Theoreticum* alium *Practicum*. Cognitio enim fidei prior actus non est *Theoretica*, in qua sola acquiescamus, quæque intra intellectum solum terminatur, sed est potius directa ad *præceptum* est *regulativa operationis*, est *terminativa actionis directæ proferens sese extra intellectum*, ita ut voluntas objectum ab intellectu cognitum apprehendat in eo acquiescat. Si ergò à fide arguendum ad Theologiam, utique *Theoretica* cognitio ita comparata erit ut, licet occupetur circa *objecta quædam speculabilia*, non tamen *speculando* circa ea versetur, vel ita ut in cognitione nuda eorum subsistat, sed ultimum desinet in *præcepto* & operatione, adeoque ipsa Theologia practica erit disciplina non mixta.

Cognitionem fidei Practicam esse in Theolog.

An Theologia sit

4. *Speciatim* reprobamus eorum sententiam, qui è Scholasticis & Pontifici

Pontifici

Pontificiis Theologiam simpliciter de-
 finiunt per *sapientiam* ceu genus, quo-
 rum tamen plerique eandem esse ha-
 tum *mixtum* asserunt. Quibus sub-
 scripsere *Alstedius, Berg:Walaus* aliique
 è Calvinianis. Fundamentum præ-
 cipuum est, quod Theologia sit *magis*
speculativa quam practica, quod *Gillius*
 probat à principio, objecto & sine; quia
 principium est *divina scientia, quæ etsi*
sit speculativa & practica simul, magis
tamen præcipue speculativa, ratione pri-
marii objecti, quod non nisi speculabi-
le est. Objectum autem formale, ut
 ut *indifferens* statuat *Gillius*, ad manife-
 standas veritates tam *speculativas, quam*
practicas, nim: *divinam revelationem,*
 materiale tamen *speculativum* esse cen-
 set, quod *DEUM* facit. Finem itidem
 præcipuum *speculationem* esse contendit
 tum quod *speculatio sit nobilior pra-*
ctica notitia, tum quod speculatio in Theo-
logia maximè sit de Deo, cognitio verò pra-
ctica de actibus humanis, unde illa hac
præstantior est. Porro obtento hoc,
 quod *magis sit speculativa quam practi-*
ca Theologia, colligunt ulterius, quod
 omninò *sapientia* sit, idq; non tantum
 ab *autoritate*, quod *sapientiam* eam
 Q 5 faciunt

Sapien-
tia?Num ma-
gis sit spe-
culativa,
quã pra-
ctica?

faciât *Alensis, Albertus, Thomas, Bonav. Egidio, Richardo, Hervag, Scoto, Mairo, Argentina &c.* Sed & *ratione* tùm quod sapientia sit *habitus perfectissimus*, tùm quod & *conditiones Sapientie Theologie* apprimè conveniant. Cæterùm fundamentum illud planè arenosum est. Evicimus enim Theologiam non esse *mixtam* disciplinam, sed *purè practicam*, dum ergo eam *magis speculativam esse* probant adversarii quàm *practicam*, funiculos saltem ex arena nectunt.

Quomodo Deus se cognoscat, Theoricè an practicè?

Ad 1. *rationem de principio*, Resp. non *divinam scientiam in sese*, sed *divinæ scientiæ ἀποπόσειαν* quandam & emanationem & communicationem esse *principium Theologiæ*, *divinam nempe revelationem*, quæ ad *praxin* directa est, eamq; per sese intendit, cum finis *Scripturæ* proprius sit, ut *credamus & salutem consequamur*. Nihil ergo attinet disquirere, quomodo sese habeat *divina scientia ad intrà in ipso DEO*, quam tamen *magis præcipuè speculativam esse*, itidem inficiamur etiam *ratione primarii objecti* spectatam, quod est *Deus ipse*. Hoc enim *objectum non est purè speculabile, sed amabile*. Deus sese non

non cognoscit purè speculando, sed ceu
αὐλαγὰς & summum bonum perfectissi-
 mè amando. In eo enim consistit sum-
 ma DEI beatitudo, quod DEUS seipso
 perfruatur, quod suam perfectionem
 per intellectum plenè cognoscat & per
 voluntatem summè amet, inq; eâ sum-
 ma cum voluptate acquiescat.

Ad secundam rationem de obje-
 cto. Resp. Divinam revelationem non
 esse objectum, sed potius principium
 Theologiæ, nec indifferenter sese ha-
 bere illam revelationem, quæ nobis
 ad salutem facta est ad veritates Theo-
 reticas & Practicas, sed per sese inten-
 dere ac respicere *πραξι*. Absurdè in-
 super formale objectum alicujus discipli-
 næ statui indifferens, materiale, restrictum,
 cum forma differentiam adferat & re-
 strictionem materiae. Objectum deniq; Theo-
 logiæ principium quidè Deum dici posse,
 si objectum generaliter vocetur, quicquid
 ad Theologicam considerationem per-
 tinet. At Deum non sub ratione Theore-
 tica sed Practica in Theologia spectandum
 esse: Specialiter verò ac propriè di-
 ctum objectum, quod vocant operatio-
 nis in Practicis, demonstrationis in Theo-
 reticis

reticis, hinc esse hominem, quâ ad Deum
 perducendus est, cujus respectu Theo-
 logia verè practica est, πρῶτον ψευδῶς
 itaque contrariæ sententiæ in eo con-
 sistit, quod DEUM statuat objectum
 Theologiæ specialiter dictum, argumen-
 mento admodum lubrico à nomine de-
 sumto, cum constet non semper disci-
 plinas nomina sortiri ab objecto, ut ex-
 emplo est Mathesis & Medicina, aut si
 etiã ab objecto denominentur, non
 illico ab objecto propriè & speciatim
 dicto denominari, uti Ethica à moribus
 nomen habet, qui quidem sub objecto
 considerationis Ethicæ comprehendun-
 tur, non autem objectum Ethicæ pro-
 prium sunt, in quod finis introducen-
 dus per media, unde Theologiæ no-
 men alii à causa efficiente, alii à fine
 deducunt, quod à DEO doceatur & ad
 DEUM ducat. Alii ab objecto quidem,
 sed generaliter dicto, quanquam etiã
 aliis placeat, DEUM quâ nos ad salu-
 tem per fidem perducit, vel quâ est Sal-
 vator noster objectum dicere, adeoque
 inde Theologiam ceu Practicam disci-
 plinam designare.

Ad 3. *De fine.* Resp. Etiam si *Speculatio in sese* nobilior foret *praxi*, non tamen juxta *intentionem habitus Theologici* $\pi\epsilon\omega\tau\epsilon\iota\omicron\nu$ obtinet, quæ hîc respicienda est. Negamus præterea *de D E O speculationem haberi in Theologia.* Cognitio quidem habetur de Deo, at ea non *Speculativa* est, sed *Practica*, æquæ ut *cognitio de actibus humanis.*

Cùm ergò discussis illis ratiunculis, quibus probatur, *Theologiam magis esse speculativam quàm practicam*, satis obtentum sit, eam *unicè practicam* esse, ultrò manifestum est, quod minime per *sapientiam* definienda sit. *Autoritates* Scholasticorum hîc non moramur, nisi rationibus stipatæ sint. *Rationes* autem illæ nullæ sunt. Nam quod ad (1) *Sapientia est habitus perfectissimus* scil. *in suo genere*, adeoque inter *habitus Philosophicos*, quos sublimitate longè transcendit *Theologia*.

Quod ad (2.) *Conditiones sapientiæ* *An conditiones Sapientiæ*
1. Metaph. c. 2. recensitæ *Theologiæ* non conveniunt omnes, licet quasdam illi competere non diffiteamur, *conveniunt*
 utpote quod *agat de rebus abstrusissimis*, *ant Theologiæ?*
 quòd *certissima* sit, per se *expetibilis &* *nobi-*

nobilissima disciplina. Necessum autem est, cum à requisitis argumentum petitur, ut omnia requisita rei conveniant, quæ non seorsim, sed conjunctim sumpta, retrocurrunt cum eo cujus sunt requisita. Cæterum Theologiæ

minimè conveniunt hæcce προσκει-
 μενα sapientiæ (1.) versari circa omnia.
 (2.) esse ad docendum aptissimam. (3.) in-
 ferioribus disciplinis imperare. (4.) Con-
 clusiones è primis cognoscendi principis
 confirmare. (5.) certos rerum ordines
 constituere; de quibus in Metaphy-
 fica. Regerit Alstedius præcogn. Theo-
 logicorum lib. 1. p. 42. Theologiam ver-
 sari circa omnia; quia pro subjecto habet
 DEUM, qui est omnia; maximè aptam es-
 se ad docendum, quia rerum divinarum
 prima tradit principia; aliàs disciplinas
 regere tum Theoreticè, quâ objecta, ut
 nihil statuant contra eminentiam sui
 objecti, quâ principia terminos illis
 præfigendo, in quibus subsistant
 tum regimine practico, quia ultimum
 monstrat finem, ad quem tendunt om-
 nia.

Except.
 Alstedii.

Diluun-
 tur.

Resp. At Sapientiæ est versari cir-
 ca omnia γενικῶς & communiter secun-
 dum

dum Philosophum, DEUS autem, et si principium sit omnium, non tamen omnia est communiter, sed tantum eminenter. Sapientiæ est, è primis cognoscendi principiis procedere, quæ de causa dicitur διδακταλική: Theologia autem procedit unicè ab auctoritate, & magis à posteriori, quàm à priori. Sapientiæ est, alias disciplinas regere non regimine Practico, sed Theoretico, quod non consistit in qualicunque objectorum vel principiorum directione, ne fortè alia adversentur sapientiæ, sed in legum dictamine, ditionum, terminorum præscriptione justitiæ administratione, h. e. in eo, quod principia subministret aliis, objecta determinet & controversias decidat ex ipsis primis cognoscendi principiis, quæ quàm aliena sint à Theologia, nemo non videt.

Adfert autem porrò Alsted: hæc argumenta pro confirmanda sua sententia. 1. è definitione accurata Sapientiæ; quod sit habitus intellectualis, quod inclinamur ad assentiendum principiis & conclusionibus. 2. è definitione vulgari, quod sit cognitio rerum altissimarum ad
sum-

suminum bonum relatarum secundum
August: lib:2. de Libero arbitrio. 3. quod
in scripturis indigitetur sapientia Deut.
IV. v.6. Ps. XIX. v. 8. & CXIX. vers. 98
Prov. II. & III. Eph. I. 8, 17. Col: I. 9, & 18.
c. III, 16. Jac. III. v. 17.

Resp. autem ad I. Definitio illa
 accurata, nihil minus est quam accurata,
 quia non tantum *Sapientia*, sed & alii
 habitus intellectuales faciunt ad assenti-
 endum principiis & conclusionibus
 utpote *Scientia*, itemq; *Prudentia* &
 Accurate autem sapientia definitur
 habitus ex intelligentia & scientia con-
 stans, vel e primis cognoscendi principis
 conclusiones eliciens. Regerit *Alsted:*
 Definitionem illam nimis angustam
 esse, cum habitus alius sit simplex, alius
 mixtus, ille sit vel *Theoreticus*, ut *scien-*
tia, *intelligentia*, vel *Practicus*, ut *pruden-*
tia, vel *poeticus*, ut *Ars*. Hic sit *sapientia*,
 caq; vel ex *Theoretico* & *Practico* habitu
 mixta, utpote ex *intelligentia*, *scientia* &
prudentia, ut *Theologia*, quæ & *intelligen-*
tia dicitur *Ps. CXIX v. 27. Prov. I. v. 2. Eph.*
III. v. 4. & scientia Ps. CXIX. v. 66. Es: V.
v. 13, Jac. III. v. 13. & Prudentia Prov. I.
v. 2. c. IX. v. 10. Ps. CXIX, v. 110. 125. 130. vel
 ex

ex habitibus Theoreticis, scientia & intelligentia ut Metaphysica.

Resp. autem 1. Definitio illa sapientiae, quod sit *ἄνευ καὶ ἐπισήμην* est ipsius Aristotelis, cuius sententiam in requisitis sapientiae sequitur Alsted: Cur ergo hic eam impugnat? 2. Juxta requisita illa sapientiae non angusta nimis, sed *adequata* omnino est praedicta definitio, quia *intelligentia, & scientia* constare dicitur sapientiam, quod & *prima cognoscendi principia* tradat, quae sunt *intelligentiae*, & ex illis *conclusiones* eliciat, quod est *scientia*. Ideo enim dicitur *διδασκαλικόερα* & *directrix* aliarum disciplinarum. 3. *Distributio Alstediana* habituum, ut novum est ejus *ἔρρημα*, ita merè est *precaria & arbitraria*. Adhuc non uno nomine *falsa & inepta*, tum quia sapientia non est *habitus mixtus*, sed *simplex*. Dicitur autem *intelligentia & scientia* constare, non ut *habitus quidam mixtus* ex utraque, seu *formaliter*, sed *virtualiter & eminenter*, quod ea videatur sibi vendicare, quae & *intelligentiae & scientiae* sunt, & *formaliter* illis insint: tum quia *absurdum* est, habitum ex Theore-

tico & practico *mixtum* constituere, ut
 antea ostensum: tum quia *absurdius*
scientiam, intelligentiam & prudentiam
 coire in unum habitum: tum quia *ab-*
surdissimum est ejusmodi habitum esse
sapientiam, & sapientiam formaliter
 practicam esse, & *prudentiam*; tum de-
 niqve, quia *Theologia* non est habitus
 quidam *mixtus* sed *simplex*, non datur
 in *Theologia Theoria*, sed tantum $\pi\rho\alpha\gamma\mu\alpha\tau\iota\kappa\eta$
 $\xi\iota\varsigma$, ideoqve nec *scientia*, nec *intelligentia*,
 nec *sapientia* de *Theologia* generi-
 ce predicari potest.

Quamquam verò in *Scripturis Theologia*
 diversis describatur nominibus,
 modò *sapientia*, modò *intelligentia*,
 modò *scientia*, modò *prudentia* dica-
 tur, illa tamen neqve omninò ea sunt,
 quibus habitus insigniuntur, cum nus-
 piam vocetur $\nu\theta\varsigma$, vel *intelligentia* si-
 ve in *Nov. Testam.* sive in interpreta-
 tione *Græca V.* neqve si eadem, idem
 significant, quod *Philosopho*, cum lon-
 gè *alio sensu* dicatur *scientia & pruden-*
tia &c. in *Scriptura*, quàm in *Philoso-*
phia, neqve illicò *generis* loco assignan-
 da sunt, cum non *omne predicatum* sit
genericum, imò si omnia nomina, quæ
 esse

efferuntur de Theologia, vel *genus Theologiae* sunt, vel coeunt in *genus*, maxime diversa genera Theologiae erunt assignanda, aut *genus* illud e diversissimis constabit generibus, quod inconueniens. Vocatur & Theologia *stultitia* 1. Cor. I. v. 21. 23. num ergo illa eius *genus*? Dicitur *sapientia*, dicitur *scientia*, dicitur *prudencia*, dicitur *σοφία*, dicitur *ἐπιγνωσις*, dicitur *via Domini*, *doctrina* &c. num omnia illa *genus* constituunt Theologiae? Quid? quod adhibeantur ferè illa nomina *συνώνυμος* & *equivolenter*, non verò distinguantur ab invicem in Scriptura, nedum omnia distincta genericè efferantur de Theologia. *Scientia*, *intelligentia* sc. vocatur, sed *spiritualis*, *divina*, *abscondita*, quæ rectius pro Synonymis habentur Theologiae & titulis honorariis Spiritus S. quàm pro genere ejusdem.

Ad 2. respondetur; Definitio *vulgaris* hîc non est penfi habenda, sed *accurata*. Estque insuper ea descriptio *Augustini* ipsius *doctrinae caelestis periphrasis*, & cum Theologia retro currit, *genus* autem non retro currit cum specie sua.

Ad 3. Resp. 1. Dicitur quidem Theologia

logia *Sapientia* passim, sed *sapientia* non constituitur *genus Theologiae*, 2. *Sapientia* potius ut *Synonymum Grammaticum* effertur de *Theologia* quam ut *genus & Synonymum Logicum*. 3. *Theologia sapientia* dicitur non simpliciter, sed *divina & spiritualis*, quæ restrictio vel additur, vel subintelligitur. 4. *Sapientia* ergo vocatur non sensu *philosophico*, sed *Spiritui S. proprio*. 5. *Sapientia* nomen ambiguum est in *Scripturis*. Accipitur enim modo (α) *ἰμπερίας & καλὰ χρησινῶν* pro *calliditate & astutia*, vel *carnali sapientia* *Exod. I. v. 9. Matth: XI, v. 25.* modo (β) *σωστικῶν* pro *subsistenti sapientia Filii DEI* *Prov. VIII. v. 1. Matth. XI, v. 19. Luc. XI. v. 49. 1. Cor. I. v. 24, 30.* (γ) modo *γενικῶν* pro *excellenti cognitione cujusvis artis*, quomodo & *prudencia Politica* *sapientia* dicitur, *Num: XI. v. 16. 2. Reg. III. v. 9. & doctrina de moribus* *Sapientia* vocatur, ut *Proverbia Salomonis* *Prov. II. v. 2. & Eloquentia* vocatur, *Sapientia sermonis* *1. Cor. I. v. 17. & Artifices sapientes* indignantur *Exod. XXVIII. v. 3. c. XXXI. v. 2. Architectus* dicitur *Sapiens* *1. Cor. III, v. 10,*

v. 10, modò (ο) εἰδικῶς & specialiter pro-
notitia rerum divinarum 1. Cor. II. v. 6.
prioris acceptiones hîc alienæ sunt,
tertia nimis generalis est, quarta deni-
que retrocurrit cum ipsa Theolo-
gia.

5. Eorum reprobamus sententiam, *An Theo-*
logia sit
qui Theologiam per scientiam tanquam
genus definiunt, eamque esse scientiam
Scientia?
propriè dictam contendunt, ut Henricus
Gandavensis, Franc: de Marchia, Capreo-
lus, Thom: de Via, Cornel: Loosæus, ut
& Junius, Pareus, Pelarg: Polyander &c.
quibus accedere videtur Waleus, quam-
vis & scientiam & sapientiam definiat
Theologiam. Ubi observandum, non
disquiri; utrum Theologia scientia dici
possit, laxiori vocis significatione, nec
etiam, an Theologia potius scientia
ob sui perfectionem, quam opinio aut
imperfectus habitus dici debeat, quod
asserit Thom: part. 1. quest. 1. art: 2. inter-
prete Gregorio de Valent: & Gabriele
Vasquez aliisq; Utrumque illud faci-
les admittimus, cum & à Spiritu S. vo-
cetur scientia laxâ significatione. 1.
Cor: XII. v. 8. c. XIII. 8. &c. & rectè à
Thoma, ut & ab August: passim doceat-

tur, eam non solum opinionem sed & scientiam esse: Sed eò sensu non poterit scientia loco generis ei assignari: cum ista significatio minus propria sit, nec Theologia tantum, sed & alia discipline, etiam Practica ratione perfectionis nominari possint scientia, licet sub genere scientiarum propriè dictarum non sint. Id ergò jam disquiritur, utrum Theologia genus assignari debeat scientia propriè ita dicta, quod negamus. 1. E definitione

Rationes
pro nega-
tiva.

1. E defini-
tione sci-
entia.

scientia, quæ est $\theta\acute{\epsilon}\lambda\iota\varsigma\ \delta\omega\tau\omicron\delta\epsilon\iota\chi\iota\mu\eta\ \epsilon\lambda\epsilon\upsilon\tau\epsilon\upsilon\alpha\ \tau\omicron\upsilon\upsilon$ 6. Ethic. c. 3. Theologia quippe non est ejusmodi habitus demonstrativus ex necessariis. Habet quidem etiam suas causas, $\alpha\pi\omicron\delta\epsilon\iota\chi\epsilon\iota\varsigma$, sed $\pi\upsilon\epsilon\upsilon\mu\alpha\tau\iota\kappa\acute{\alpha}\varsigma$ non verò $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\omicron\mu\omicron\upsilon\iota\kappa\acute{\alpha}\varsigma$ ut Apostolus 1. Cor. II. 4. docet, quia ad has requiritur, ut affectiones per rationes suas probentur de subiecto necessario, & quidem præcipuè à priori. Theologia autem, nec subiectum demonstrationis habet, sed operationis potius, nec in demonstrandis affectionibus consistit, sed in tradendis salutis medicis, nec à priori potissimum, sed à posteriori probat, imò non ratione utitur, sed

sed *autoritate divina*, quæ efficacissima quidem est probatio, non autem *proprie dicta demonstratio*, nec *scientiam* gignit, sed *fidem* requirit.

2. E *requisitis scientiæ*, quæ est definitione ejus & *natura demonstrationis* colliguntur (1) *ratione subjecti*, quod id debeat *necessarium esse & universale*. (2) *Ratione affectionum*, quæ *proprie inherere subjecto & de eò demonstrari debent*. (3.) *ratione principiorum*, quibus *à priori ex immediatis causis vel rationibus demonstranda sunt affectiones*. Vid. *Analyt: poster: c. 7. & 10. textus*. Hæ enim conditiones non dantur in Theologia, cujus (1) *objectum contingens est, homo quæ salvandus*, imò versatur magis Theologia circa *singularia*, quàm *universalia*. (2.) *affectiones in Theologia non traduntur hujus objecti proprie dictæ, sed status potius ejus præcognoscitur, & de mediis, per quæ finis introduci debeat, ex professo agitur* (3.) Unde nec *principia affectionum adhibentur*, quin potius omnia est *revelatione divinâ probantur sola DEI dicentis autoritate*, quæ vel *ἀπολεξῆς* in Scripturis

pturis asferuntur, vel διαφανήτως & per consequentiam ē Scripturis colliguntur.

(3) Ex indole scientia,

(3.) ex indole & conditione scientia quia scientia cognitio est evidens & perfecta. 1. poster. 2. c. text. 18. quod item Theologia non omninò congruit, cujus cognitio potius *inevidens est*, cum versetur non circa επισήμια vel scibilia, sed circa ἰαπίστια seu credibilia, adeoque velit mysteria sua *credi*, non *sciri*; jubet rationem in iis cognoscendis *captivari*, non *dominari*. Adhuc imperfecta est cognitio Theologiae in hac vita docente Apostolo 1. Cor: XIII. v. 12.

4. E fine Scientia.

4. E fine scientia, quia scientiae finis Theoria, at Theologiae finis est praxis, ut antea evictum. Pluribus contra illam sententiam agunt ē Scholasticis Durand: Occam: Ariminensis Marsilius, Biel, Hervaeus, aliiq; Sententiarum in prolegom: super librum sententiarum. Priusquam autem concludamus hanc de genere Theologiae habitu practico ἐξέτασιν, nonnulla veluti colophonis loco, at sedulò censuimus observanda.

1. Quomodo

Primum est, cum Theologia practica

etica constituitur, nequaquam praxin *do Theo-*
 jam in humana potestate collocari, *logia pra-*
 prout circa τὰ ἀνθρώπινα praxis versa *etica di-*
 ri dicitur à Philosopho; qui tamen ibi *catur.*
 respexit praxin in specie *mora-*
 à quæ profus diversa est praxis hæc no-
 stra *spiritualis*, perductio hominum ad
salutem eternam; Idcirco neryo & ro-
 bore caret argumentum, quod nostræ
 sententiæ opponitur: *Theologiam non*
esse Practicam, quia finis & media Theo-
 logiæ non sunt in nostra potestate. Pro-
 positio enim Major falsa est: *Cujus di-*
sciplina finis cum mediis in nostra pote-
state non est, ea non est practica. Quan-
 quam enim felicitas, quæ à Philoso-
 pho practico intenditur & quæritur,
 sit εὐδαιμονία l. i. *Ethic. ad Nicom. c. VI.*
 eoque dicatur εὐδαιμονία ἀνθρώπινη
 c. XII, & pars ista Philosophiæ l. X.
Ethic: c. X. ὅτι τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία
 indigiteretur, non tamen necessum est,
 ut felicitas, quæ à Theologo intendi-
 tur, in nostrâ potestate sit, & humana
 felicitas; aut quum non sit in nostrâ po-
 testate, ideò Practica non est censenda
 Theologia: sed id tantum inde colligere
 licet, *Theologiam non esse ipsam practica* Phi-
 lo-

lophiã, vel etiã, non ita vocari Practicã
 uti Philosophia practica eo nomine indigi-
 tatur. A specie certa negatã ad negatio-
 nem generis non valet consequentia. La-
 tius patet tum *praxis*, tum etiam *practi-*
cus habitus, quã *praxis Ethica*, vel *Pol-*
itica, vel alia in humanã potestate si-
 ta. Quidni enim *medicatio anima perdu-*
ctio hominum ad salutem, & *munia Theo-*
logorum propria, finesq; Theologiã in-
 terni dici possent *πρωξις*? Ut ut non
 sint in humanis viribus sita, sed quem-
 admodum *εὐδαιμονία* finis externus est,
salus non mundana, sed *æterna*, non *hu-*
jus, sed *futura vite*, ita etiam *media*,
 quibus utuntur Theologi, vel quæ de-
 finit Theologia, ut homo perducatur
 ad æternam salutem, sint viribus hu-
 manis superiora, nec in hominis poter-
 state, sed divinã gratiã sita, & recon-
 dita.

2. Quo-
 modo o-
 mnia ad
 praxin di-
 rigantur
 in Theol.

Alterum est; Cum omnia, quæ in
 Theologia traduntur, ob praxin cor-
 noscenda dicantur, non ut in sola
 cognitione sistatur, nequaquam eo ipso
 naturã suã & per se practica ea constitui
 omnia.

Notandum id ob ver-
 besca D. Dreieri, qui ex eo, quod ni-
 hil

hil in Theologia cognosci diximus, ut in cognitione sistatur, sed ob praxin, per calumniam infert in der Erörterung
Prefat: l. 9. f. 2. omnia in Theologia practica esse, ita ut PER SE ad praxin pertineat, quicquid ad Theologiam pertinet, atque ita etiam cognitionem DEI & Angelorum ad praxin per se facere, nostrâ sententiâ. Verum enimverò aliud est per se ac naturâ suâ pertinere ad praxin, quod de DEI & Angelorum notitiâ haud dictum fuit, aliud est revelatum esse divinitus ob praxin, vel eò sine, non ut in solâ cognitione subsistatur, sed ut eadem ad praxin dirigatur. Non enim cognitio de DEO nobis patefacta est solùm, ut DEUM cognoscamus, sed ut in DEUM credamus, & in æternum DEO fruamur. Universa Theologia, inquit Augustinus l. 1. de Doctr. Christ. c. 4. eò ordinatur, ut DEO fruamur. Nec Angelorum solùm notitia nudæ θεωρίας causa patefacta est, ut in eâ notitia subsistatur, sed ut studeamus potiri Angelorum consortio, frui, tandemq; fieri quoque ἰσὶ ἀγγελοι. Audiat Sophista B. Dn. D. Meisnerum, qui part. 3. Phil. Sobr. sect. 5. c. 2. p. 162. huic objectioni occurrit;

rit: Licet verò nonnulla contemplemur etiam in Theologia, ut naturam DEI, Angelorum & Diabolorum, nostrorumque conditionem propriam, non tamen ista sic cognoscimus, ut in illa cognitione acquiescere, aut istam contemplationem pro fine ultimo studii Theologici reputare debeamus; sed potius ad praxin directa est omnis ista theoria, ut nimirum per illam, ceu medium praequisitum, & nos ipsos faciamus salvos, & eos, qui nos audiunt, I. Tim. IV. 16. Quantumvis igitur quaedam tractentur à Theologis, quæ videntur esse merè theoretica; non tamen ob id putandum est, quod ipse Theologiae finis ultimus sit theoria, vel contemplatio; siquidem in ista non acquiescimus; sed eam ad operationem, ad salutis adeptionem velut ad communem finem dirigimus. Notetur ergò, quod theoria duplex sit: Unam dico absolutam, quæ propter seipsam suscipitur, & in qua contemplantis animus acquiescit, quæ theoria parit disciplinam theoreticam. Altera verò est respectiva, quæ ad operationem relata, quæ propter aliud suscipitur, & in qua contemplantis animus non acquiescit, sed ad alium finem, nimirum operationem quan-

dam

dam collimat, quæ theoria (mallem
 γυνῶσις dicere) non theoreticam; sed pra-
 cticam parit disciplinam. Et talis
 est omnis theoria (γυνῶσις) Theologica,
 in qua sive DEI essentiam, sive nostram,
 sive Angelicam contemlemur, omnis ista
 hæc contemplatio ad praxin directæ est.
 DEUM enim cognoscit Theologus tan-
 quam finem, siquidem in fruitione DEI
 sita est nostra beatitudo; & cognoscit i-
 psam, non ideò, ut in ista cognitione ac-
 quiescat, nec aliud desideret; sed potius,
 ut per istam cognitionem, tanquam præ-
 cipuam fidei dogmaticæ partem, sine quâ
 nemo salvatur, & ipse, & alii, qui ipsum
 audiunt, salutis æternæ participes fiant.
 Hunc finem, qui non semper intendit, nec
 in omni sua theoria (γυνῶσις) respicit, is
 veri Theologi nomen non meretur. Vide-
 rit ergò Drejerus, num juxta Theologi
 celebratissimi judicium Theologi veri
 nomen mereatur, non intendens pra-
 xim in Theologiâ, & iis, quæ in Theo-
 logia traduntur. Si verò malit hîc audi-
 re Calixtum ceu Antesignanum & Magi-
 strum suum, recognoscat Epitomen ejus-
 dem pag. 4. Superest videre, qualis do-
 ctрина sit Theologia, num acquiescat in
 cogni-

cognitione, vel aliud quid quaerat, ob quod
 etiam cognitionem istam acquirat, eam
 quae eò dirigat! Nemo rectius nos docue-
 rit, quam Johannes: Multa alia signa (in-
 quit ille in Evangelio c. XX v. 30. & 31.) Je-
 sus fecit in conspectu discipulorum suorum,
 quae non sunt scripta in libro hoc: Haec au-
 tem scripta sunt, ut credatis, & credentes
 vitam habeatis. Et Paulus Rom. XV. 4.
 Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctri-
 nam scripta sunt, ut per patientiam &
 consolationem scripturarum spem habe-
 mus. Item 2. Tim. III. 16. 17. Omnis Scri-
 ptura divinitus inspirata utilis est, ut ho-
 mo DEI sit perfectus, & ad omne opus
 bonum instructus. Ex hisce locis mani-
 festum est, Theologiam non cognosci, ut sal-
 tem cognoscatur, & in cognitione acquie-
 scens intra intellectum se contineat, sed
 etiam ut sese extra eundem extendat,
 nempe ut voluntas in objecto ab intellectu
 cognito acquiescat, hoc est, fide oblatam
 DEI gratiam apprehendat. Ideò dixit
 Joannes, haec scripta sunt, ut credatis.
 Quod autem fides sit fiducia, quae habitus
 aut actus voluntatis est, suo loco demon-
 strabitur. Deinde cum fidem donet &
 confirmet Spiritus S. per auditum verbi,
 usumque

usumq; Sacramentorum, luce clarius est,
 quæ de Verbo & Sacramentis in Theologia
 traduntur, in Theoria non sisti, sed pro-
 pter aliud doceri. Porro cum fides per
 charitatem efficax sit Galat. V. 6. & fru-
 ctus bonorum operum producat, quæ de-
 bent conformari voluntati & legi Divinae,
 cum in cultu DEI, tum in amore proxi-
 mi, cæcus sit, qui non videat, quæ to-
 ties in Sacris literis inculcantur, eò dirigi,
 ut, sicut Paulus ait, homo DEI sit per-
 fectus, & ad omne bonum opus instructus,
 atq; ideò promiserit, utiles esse ad corri-
 gendum & ad arguendum, quæ certè in
 Theoria locum nullum habent. Manife-
 stum igitur est doctrinam Sacris literis
 comprehensam respicere praxin, nempe
 generationem & confirmationem fidei,
 & emendationem sive novitatem vitæ,
 tanquam fructum fidei, quæ quidem ipsa
 sit medium, quo DEUS nos velit ad vi-
 tam æternam pervenire, indicium faci-
 ente Joanne, quando dicit, ut credentes
 vitam habeatis. Hinc nunc facillè erit
 cuivis concludere, Theologiam esse disci-
 plinam practicam, quod dirigatur ad fi-
 dem. Hæc Calixtus, quæ καὶ ἀνθερωπων
 Drejero non immeritò possumus op-
 ponere

ponere, quamvis alioquin omne spiritum *Calixtinum* lingere soleat. Absurdus profectò Drejerus Calixti iudiciò fuerit *Theologiam Practicam* negans & tantò quidem magis absurdus, quantò fervidius *Calixtino - Majoristæ* errorem de bonorum operum necessitate propugnat ac tuetur, ut taceam, quod *Hornejus* cognitionem illam DEI, quæ in hac vitâ est, sine dilectione esse asferat, ac proinde *theoreticis disciplinis* accensendam esse *Theologiam* neget.

III.

Tertium est: Practicam dici Theologiam, non quod medium ejusdem sit bonæ Theologiæ minem perducendi ad salutem praxis & quænam? studium bonorum operum, sed ob fidei praxin, quâ solâ ad æternam salutem adspiramus. Ideoq; practicam quidem Theologiam rectè statuit Calixtus, ac falsò medium Theologiæ cum Papistis facit studium bonorum operum, à quo pendeat finis ultimus, salus æterna. Epitom. Theol. Moral. p. 3. Quò etiam tenet Hornejus Disput. 1. de nat. Theolog. lib. XLII. & seqq. Quia medium à parte nostri requisitum ad consequendam salutem unicè fides constituatur, exclusis

elufis bonis operibus. *Rom. III. 24. Gal. II. 16. Eph. II. 8. Tit. III. 8.* & alibi paffim. Quapropter bona opera in Syftemate Theologiæ non ut *medium confequendi eternam salutem* fpectanda funt, fidei contradiftinctum, vel ut *caufa etiam fine qua non, aut conditio falutis*, fed ut *effectus & confequentia fidei iuftificantis & falvificæ; & officia fidelium feu iufticatorum & falvandorum.*

Quartum eft: dum *Practicam* conftituimus Theologiam, non verò *Theoretico-Practicam*, & cognitionem de DEO ad praxin directam afferimus, non verò *nuda* folùm *notitia* graviâ in Theologiâ tradi, nequaquam id volumus, fufficere qualem qualem tantum *notitiam de DEO*, quemadmodum in *Philofophia Practicâ perfunctoriè*, ac *in Theologia* *fecundariò tantum doctrina de anima* tractatur, & in *Medicina doctrina de rebus naturalibus*; Sed hoc eft, quòd folùm indigitamus, quod in eâ *cognitione folùm non acquiefcendum* fit, fed ea ad *praxin* dirigi debeat. Quum non folùm DEUM noviffe, ac mentis notitiâ, prout fele revelavit, complecti, fed in DEUM *vera cordis fiducia credere* debeat,

debeat, quisquis salvari cupit. Quapropter ut ad *fidem* pertinent, tùm *notitia mentis*, tùm *fiducia cordis*, nec hæc tantùm sola primariò, ista secundariò, sed utraq; æquè directè, primariò, ac per se & principaliter ad fidem requiruntur. ita etiam in Theologiâ utraqve primariò respicitur, nec minus principaliter ibi doctrina de DEO & quæ ad eam pertinent, explicanda sunt, quam quæ ad veram cordis fiduciam, & fiducialeni gratiæ DEI apprehensionem faciunt. Unde *nova* etiam emergit *differentia* tractationis *Philosophiæ Practicæ ac Theologiæ*. Ibi enim *notitia* quædam *doctrinæ de anima* supponitur doctrinæ virtutum, non tamen medium est ad *εὐδαιμονίαν* Practicam, seu *finem Ethicæ*, perinde uti *Virtus* quia non per ipsam, sed per *virtutem* ejusque *actiones beatitudinem Civilem* consequimur. Hic enim secus sese res habet: quia cognitio DEI non tantùm supponenda est in antecessum, (certò respectu) inter *τὰ προγνωστέα*, vel *Præcognita Theologiæ*, sed ipsa quoque facit *πρώτος* ad consequendam æternam salutem, *mediumq; est*, per

per quod homo ad salutem æternam
 perducitur. Ad *Præcognita* pertinet
 seu *finis objectivus*, ubi perfunctoria
 fortè noticia suffecerit ad istam *ωρ-
 γωσιον* (si ad analogiam aliorum ha-
 bituum practicum eadem exhibenda
 sit, quæquam id in hac disciplina, quæ
 peculiari eminentissimaq; ratione
practica est, non requiratur,) nisi *do-
 ctrinae & methodi gratiâ*, ut illicò sta-
 tim solida de DEO habeatur notitia,
 nec opus sit gemina tractatione, in li-
 mine plenam *ἐξέτασιον* de DEO insti-
 tuere libeat. Ad ipsam verò *per-
 tractationem mediorem* hæc doctrina
 ideò spectat, quod fides essentialitèr
 includat *notitiam DEI revelatam*: nec
 sine eâ concipi, vel esse possit, quodq;
 homo ad salutem reparari nequeat, si-
 ne verâ DEI agnitione. Sed hæc *ωρ-
 γωσιον ἀπὸ ἀρχῆς*. Et hæc de genere propin-
 quo Theologiæ.

§. V. Proximum genus Theo-
 logiæ est habitus practicus *θεός-
 δοξαστικὸς* vel divinitus datus sive or-
 dinariè, sive extraordinariè.

Theolo-
 giæ genus
 proxi-
 mum.

Evidetò genere propinquo, Theologiam nempè *habitu* esse *practicum* *speciatim ita dictum*; restat disquirendum, an sit *Prudentia*, quam solam constituit *Aristoteles* *habitu* activum, num verò *distincti generis habitus Practicus* sit? *Kecker. lib. 1. Syst. Theologici p. 3.*

An Theologia prudentia sit?

Sentent:
Keckerm:

Theologiam facit *prudentiam*, quòd *prudentia* circa virtutes atque affectus virtute imbuendos occupata sit, ut apparet è descriptione prudentiæ *6. Ethic. c. 4. seqq.* Duplicem autem constituit

prudentiam, *Ethicam* seu civilem *moderatricem virtutum Ethicarum & religiosam directricem virtutum divinarum seu spiritualium*. Sicut ergò prudentia *Ethica* est facultas & peritia comparandi media illa, quæ ad finem *Ethicum* conducunt: ita Theologiam esse dicit, facultatem & peritiam hominibus electis à DEO infusam, quæ possint ea media sibi comparare, quæ pertinent ad religionem, id est, unionem cum Deo. Addit denique *favere huic generi Paulum 1. Corinth. X. v. 15.*

Ejusdem
Exam.en.

At in hoc discursu *Keckermanni* desideramus (1.) quod *citra necessitatem Theologiam* adstringat ad *habitu* ab *Aristotele*

Aristotele

Aristotele recensitos, ex illorum numero genus ei assignando, quasi necessario contineatur Theologia sub censu habituum Aristotelicorum; & cum habitus sit *operativus*, aut per *prudentiam*, aut per *Artem* definienda sit. At quæ cogit necessitas, ut omnium habituum genera ab Aristotele sufficienter expressa statuamus! Non desunt inter Philosophos, qui *Sextum* habitum addendum judicent. Rationes insuper non leves adferri possunt, quibus sufficientia divisionis illius impugnetur. *Gnostologia*, quod alibi probamus, distinctum ab iis requirit genus, nec referri potest ad vulgatos illos habitus: Alii de aliis habitibus idem contendunt. *Theologia* adhæc *revelata*, Aristoteli minimè revelata fuit, ideoque eos solum recensuit habitus, qui *per naturam* acquiri possunt, sibique constabant; & eorum intuitu habitus definitos voluit: unde frustra laboratur in definitionibus illis Theologiæ ex ase applicandis, imò transitur ita *è genere in genus, à serie habituum naturalium ad habitum supernaturalem*; quandoquidem à Philosopho recensentur

antur solum habitus naturales per humanam solertiam acquisiti & principis naturalibus suffulti, nec non circa naturale objectum aut actus ex humanis viribus possibiles occupati. Theologia autem neque humanam solum acquiritur solertiâ, neque suffulta est naturalibus cognoscendi principis, & finem, & objectum toto genere diversa habet à prudentia ab Aristotele definita. Et nimis manifestum est, Aristotelem definire prudentiam civilem, quam vocat Keckermannus. Ea ergo cum sit opposita species religiose prudentie Keckermanni, quâ ejus definitio & requisita propria ipsi applicari poterunt.

(2.) Quod probet Keckerm: è 1. Corinth. X. Theologiam esse prudentiam. At prudentes ibi longè alio & diverso sensu dicuntur quàm apud Philosophum. Adde quod admitti non possit, Theologiam versari circa affectus virtute imbuendos, & effectus $\tau\eta\sigma\ \pi\rho\sigma\alpha\gamma\gamma\epsilon\iota\sigma\ \eta\mu\acute{\alpha}\nu$ seu voluntatis humane. Pertinent quidem affectus & virtutes ad regenerationem & sanctificationem, sed hæc non sunt effectus $\tau\eta\sigma\ \pi\rho\sigma\alpha\gamma\gamma\epsilon\iota\sigma\ \eta\mu\acute{\alpha}\nu$ humanæ.

na, sed *sed operationis divina*, nec quicquam commercii habent cum *affectibus vel virtutibus*, de quibus Philosophus; ideoque rectè monet B. Meisnerus; part. 3. Philos. Sobr. Sect. 1. c. 2. p. 188. *Sententiâ Keckermanni Theologiam in doctrinam operum converti, facileq; viam sterni ad Papisum.*

(3.) Quod Theologiam spectet ut *habitus non Theologorum sed fidelium, vel eorum, qui ad salutem adspirant.* Cùm Theologiam definiat *prudentiam perveniendi ad salutem eamque dicat peritiam hominibus electis à DEO infusam.* At Theologia rectius definitur, quâ *Theologorum est propria.* Non autem omnes Theologi sunt *electi, nec omnes electi sunt Theologi proprie dicti*, prout hîc vox *Theologia* accipitur. Theologia est quidem donum DEI, sed pertinet ad *dona ministrantia*, non autem ad *sanctificantia*: quoniam nec *dona sanctificantia* solum electorum propria sint, sed etiam cadant in reprobos ad tempus credentes. V. cum primis *Ebr. VI. v. 4, 5.*

*Qualis
habitus
practicus
sit Theo-
logia?*

Misla ergò Keckermanni senti-
tentiâ statuimus, Theologiam quidem
verè esse *habitus practicum*, sed mi-
nimè necessum esse, ut praxis restrin-
gatur ad *prudenciam*, cum amplia-
ri possit, imò debeat *Practici habitus*
denominatio. Quandoquidem præ-
ter prudenciam alii dantur habitus
practici, utpote non solùm *ministeria-
les Logica, Rhetorica &c.* Sed etiam
ex *habituum principalium numero Theo-
logia*, quam verè practicam esse ante-
hac ostendimus, tametsi non com-
prehendatur *sub prudenciâ* ab Aristo-
tele descripta, cum non versetur cir-
ca *effectus per virtutem producendos*, à
πρῶτα πρῶτα & voluntate humana de-
pendente. Proinde Theologiam
dicimus *habitus practicum* *Deo doto*
vel *divinitus datum*, ut ab *habitus so-
lertia humana acquisitis* distinguatur,
non quod *proprie habitibus infusis fidei,
& charitatis, spei eandem accensendam*
ducamus, sed quod *revelatione divi-
na hauriatur*.

Nec tamen necessum est, cum
quibusdam *proximum genus Theologia*
dicere

dicere *habitus divinitus ordinariè datum*, cum *modus ille acquirendi*, quæ vel *ordinariè* acquiritur, vel *extraordinariè* infunditur, non variet rem ipsam, sed eadem videatur specie Theologia, quæ infusa est v. gr. *Prophetis & Apostolis*, cum ea, quæ hodie obtinetur *ordinariè*. Si autem omnino lubeat acceptionem Theologiæ hîc restringere ad *ordinariam*, ut ita dicam, Theologiam, non adeò refragabimur: quemadmodum non diffitemur, cum præscindenda est Theologia ab *ordinaria & extraordinaria*, tum magis propriè *extraordinariam* dici Θεολογία, analogicè saltem *ordinariam*. Porro si statuat quis, subsistendum potius esse in illo *genere* ceu *proximo*, quod Theologia sit *habitus Practicus*, quandoquidem restrictio peti possit à *differentia specifica*, aut aliâ commodiori ratione *genus proximum* determinari, non refragabimur, imò facile cedemus; cum hoc solùm in defectu commodioris subministremus. Denique Theologiam etiam accenseri posse *habitus acquisitis* (si de *ordinariâ* solum

solum agatur) admitti poterit, dum
 saltem ex *vulgarium censu* non aestime-
 tur. Est enim habitus ex revela-
 tione divina haustus, qui utiqve per
 certa media à nobis acqvirendus est,
 ceu sunt *Oratio, Meditatio, Tentatio*, ut
 ea enumerat B. LUTHERUS, De
 quibus in Tractatu de Methodo
 studii Theolo-
 gici.

CAPUT XI.

De

OBJECTO THEOLOGICÆ.

§.I.

Subjectum Theologiæ aliud est *Subjectum* informationis, aliud occupa- *informa-* tionis. Illud homo est Theolo- *tionis.* giæ habitu præditus.

Agendum hic propriè de *Objecto*, quod vocatur *occupationis*, ideoq; pau- cis solùm homonymiam illam subje- cti præmittimus, cùm extrâ contro- versiam sit, *Subjectum informationis* Quod, ut vocant, esse *hominem imbutum Theologiâ*, *Inhabitionis* autem *subjectum* Quo, uti nuncupant, esse *intellectum Theologi*; ut enim Philosophia in men- te Philosophi est, ita Theologia est in mente Theologi, quâ scilicet *essentialiter & habitualiter* spectatur. Quod verò nonnulli cum *Ramo* eam in li- bro vel præceptis quarunt, id *impro- prium* est, quâ *accidentaliter* tantùm spectatur Theologia, quatenus nempe traditur *systematicè*, & *signativè* libris exhibe-

exhibetur. At *subjectivè* est in mente Theologi, & quidem in *intellectu practico*, quem informat.

*Subjectivè
occupa-
tionis.*

§.II. Occupationis *subjectum* vel generale est, vel speciale. Generale tractationis vel considerationis, ut vocant, *objectum*, quicquid omninò in Theologia consideratur aut tractatur. Speciale vel operationis est id, quod substernitur tractationi Theologicae, ad quod reducuntur cetera, quæ in Theologia tractantur, vel in quod finis introducitur per certa media.

Posteriori sensu discriminantur reliqua, quæ sunt tractationis Theologicae ab ipso *objecto*, quod vel finis rationem obtineant, aut ad finem spectent, vel ad media revocentur. *Priori* autem sensu omne id, quod in Theologia traditur, sub *subjecto* comprehenditur, sive habeat sese per modum *objecti* speciatim ita dicti, sive *finis*, sive *medii*; seu *directè* ad Theologiam spectet, seu *indirectè*; quo pacto *Aristoteles* 6. *Ethic: c. 5.* Ethicæ *objectum* facit ea,

quæ

quæ homini moraliter bona sunt, quæ utique non constituunt objectum speciale vel operationis, quippe quod homo ipse est, in quantum moraliter beandus.

Quod ergo ad illorum sententias, qui objectum Theologiæ faciunt, vel cum Lombardo sententiarum Magistro lib. 1. dist. 1. res & signa, per signa intelligendo Sacramenta, per res cæteros fidei articulos; vel cum Casiodoro CHRISTUM & Ecclesiam, vel cum Hugone Victorino mysterium redemptionis, vel cum Thoma DEUM, illi, quæ intelligunt speciale objectum, facile refelluntur; cum Theologia practicus sit habitus, ideoque id demum ejus objectum speciale constitui debeat, in quod finis introducendus est, æterna scilicet beatitudo, quod nec de Sacramentis, nec de Christo, nec de Redemptione, nec de Deo dici potest. Si verò intelligunt objectum generale, rectè quidem illa revocantur ad objectum Theologica tractationis, cum omnia in ea expendenda sint, non autem id plenè exhauriunt, aut totum & æquatum objectum statui debent, quum ad ea minimè revocari possint omnia, quæ ad Theologiam spectant.

De Sententia a. lior. circa objectum Theologia.

Bonaventura distingvit inter *Subiectum* *indicale*, quod DEUM esse dicit, *Integrale CHRISTUM* facit, & *universale*, quod constituit *Jo' credible*. Verum si fas est objecta pro ratione eorum, quæ in disciplinis occurrunt, multiplicare, cur non dicitur etiam aliud esse *Sacramentale*, & quæ hujus generis alia. Nec ratio apparet solida, cur *CHRISTUS* *subjectum integrale* dicatur, falsoque supponitur Theologiam esse *Theoreticam* disciplinam, cum *CHRISTUS* *objectum integrale* constituatur eò sensu, quod contineat tanquam *partes integrales* omnia, quæ in Theologia considerantur. Quamquam si admitteretur etiam illa hypothesis, quod Theologia sit *Theoretica*, non nisi absurdè omnia ad Theologiam ceu *partes integrantes CHRISTI* referri dicerentur.

Senten-
tia Gillii
Jesuit.
examen.

Alii Scholastici & cum illis Gillius *Tract. 3. de Theologia* *objectum materiale* faciunt *primum* vel *secundarium* vel *adequatum*. *Primum* dicit Gillius esse DEUM, ejusque *rationem formalem* Quæ, esse ipsammet *Deitatem*, *rationem formalem sub qua, esse finita*

tem virtualis intelligibilitatis objectiva. Secundarium objectum facit omnem veritatem creatam. Adequatum denique objectum constituit *Ens divinum sub ratione analogiæ per attributionem, vel quicquid respicit divinitatem ut formam vel intrinsecam vel extrinsecam per attributionem ad ipsam.* Rationem autem formalem facit aliam motivam seu propter quam, divinam nempe revelationem, aliam concomitantem, vel sub qua, nim: *inevidentiam*, aut revelationem, quâ *inevidens* est. Sed hæc perplexa magis quam solida. Nam

1. **DEUS**, etsi dignitatis ratione *primarium objectum* sit, non tamen ratione *tractationis modi*, quia eatenus *primario* in Theologia tractantur, quæ *media* sunt *facientia*, ut *fruemur Deo*, quemadmodum in *Medicina* *primario* tractantur ea, quæ faciunt ut *homo sanitati restituatur*, vel in *sanitate conservetur*, etsi *homo ipse* longè præstantior sit illis omnibus. 2. *Ratio formalis DEI*, quâ hic consideratur, non est *ipsa Deitas præcisè* vel in sese, sed quâ nos eadem aeternum frui possumus. 3. Nec **DEUS** hic proponitur in quantum in-

telligi

intelligi potest à finito intellectu, sed quia
 ejus noticia facit ad salutem, alioquin
 sine dubio perfectius intelligitur ab
 Angelis & beatis in Cælo. 4. Creatu-
 re itidem, de quibus in Scripturis agi-
 tur, non spectandæ sunt in Theolo-
 gia penes quidditatem suam, cum ita
 potius ad Θεσιολογίαν spectent, sed
 quia respectum aliquem habent ad ipsum
 Theologiæ finem, quæ propriè consistit
 non in creaturarum, sed mediæ salutis
 consideratione. 5. Perperam
 ergò Theologia dicitur versari circa
 DEUM & res creatas, quia non inten-
 dit contemplationem, sed operationem.
 Ad hæc multa sunt in Theologia tra-
 ctanda, quæ nec DEUS sunt, nec res
 creatæ propriè dici queunt. Agen-
 dum enim ibi de lapsu, de peccato ori-
 ginali, actuali, de regeneratione, conver-
 sione, Justificatione, de Sacramentis, vi-
 ta æterna &c. non autem illa sunt ipse
 DEUS, aut etiam rerum creatarum
 catalogo continentur? Quid? quod
 fateatur Gillius, ea, quæ non habent uti-
 litatem per se ad veram pietatem, & ideo
 à DEO revelata non sunt, à subjecto Theo-
 logiæ excludi, adeoq; illud tantum ad
 Theolo-

Theologiam pertinere, quo fides saluber-
 rima, quæ ad veram beatitudinem du-
 cit, nutritur, defenditur, ac roboratur,

Tract: de naturâ Theologiæ p. 112.

Proinde oportet objectum Theologiæ
 ejusmodi assignare, quod respiciat
 veram beatitudinem, & necessum est ea,

quæ ad hunc finem non faciunt, re-
 moveri à tractatione Theologica.

6. *Subiectum adequatum* minus adæ-
 quatè dicitur *Ens divinum*, quia non
 tantum *Ens divinum*, sed multa alia
 in Scripturis tradita in Theologia tra-
 ctanda sunt. Et num *Ens divinum*

dicit Gillius *lapsum hominis vel pecca-
 tum originale aut actuale*? Num illa
 respiciunt divinitatem ut *formam ex-
 trinsecam*?

7. *Ratio formalis objecti*
*Theologiæ non est revelatio, sed res re-
 velatæ materiale potius objecti consti-
 tuunt, quæ sub hac formali ratione*
*spectantur in Theologia, quâ respici-
 unt finem ultimum, salutem æternam.*

8. *Revelatio divina, etsi inevidens dici*
possit ratione rei, quæ revelatur, non
tamen est inevidens ratione modi, quò
revelatur, quia Scriptura Sacra satis est
perspicua & luculenta. Si verò evi-

dens dicatur *scientia*, ideò quòd à priori & per causam res cognoscamus, non quidem eò pacto res fidei evidentes sunt, quia credimus, non quod causam rei intelligamus, sed quod revelatum sit id, quod credimus. Minime tamen opus est, ut simpliciter cum *Scholasticis* revelationem inevidentem dicamus, quin distinguendum potius inter *evidentiam fidei* & *evidentiam scientia*; utrique & *fidei* & *scientia* sua competit *evidentia*, ut ut *scientia* *evidentia* maximè diversa sit à *fidei* *evidentia*, quò nomine *fides argumentum* dicitur *non apparentium* Ebr. XI vers. 1.

Objectum
speciale
Theolog.

§. III. Speciale objectum dicimus hominem, in quantum est perducendus ad salutem æternam.

Materiale hujus subjecti est homo, & quidem non immunis à peccato, sed obnoxius peccato. *Formalis* autem considerandi modus est, quò perducendus ad salutem. Quæ objecti determinatio 1. convenit *natura* Theologiae utpote quæ est habitus *Practicus*, 2. con-

venit

venit *fini*, qui est deductio hominis ad salutem. 3. *rebus*, quæ in Theologia tractantur; quia, quicquid in ea proponitur, respectum habet ad hanc formalem rationem. 4. discriminat Theologiam *revelatam à naturali*, in qua nihil de homine *salvando*. 5. distinguit Theologiam, de qua nunc agimus à *Theologia*, quæ erat in *statu integritatis*, ubi homo expers erat peccati. 6. Distinguit *considerationem hominis Physiologicam à Theologica*, quia ibi spectatur homo *Theoreticè*, quæ corpus *naturale*, *hic practicè*, quæ *salvandus est*. 7. Distinguit *Philosophiam Practicam & Medicinam à Theologia*, quia, etsi ibi etiam *Practicè* homo consideretur, non tamen quæ *spiritualiter & æternim salvandus*, sed quæ *moraliter beandus*, vel *sanandus*, aut in *sanitate corporis conservandus*.

Cum ergo ex his satis constet re- *Alior: sententia de*
 cte assignatum esse objectum juxta na- *objecto*
 turam habitus Theologici, reprobantur *Theolog:*
 da sunt aliorum sententiæ discrepantes. 1. *Objectū*
 DEUM statuunt *objectum Theologiæ*, ut *ejus non est*
 ut ea sententia plurimos habeat auto- *Deus.*

res & patronos *Alensem, Albertum, Thomam, Ægidium, Petrum de Tarantasia, Hervæum, Capreolum, Joban: Gersonem, Richardum, Aureolum, Occamum, Poletanum, Soncinatem* & quos non è Scholasticis & Pontificiis; Non spectamus autem hîc autoritates, sed *rationes*, quæ exigui momenti sunt facilèq; diluuntur. Sunt autem potissimum dux. i. urgent cum *Thoma* pleriq; *nominis etymologiam*, quod Theologia sit *sermo* sive *ratio de DEO*. At meritò illis aurem vellicat *Durandus*, non *semper denominationem peti ab objecto formali*. Addo, quod denominatio quandoque petatur ab *objecto particulari inadequato, secundariò*, aut etiam *à fine*. Non ergò certò è denominatione habitus colligitur objectum ejusdem. Deinde provocant ad *analogiam & similitudinem Theologiæ DEI ac beatorum*, & cum hæc de DEO sit tanquam de proprio objecto, concludunt Theologiam quoque nostram pro objecto habere Deum. Sed rectè iterum negat *Durandus* Theologiam *viatorum & beatorum* ac DEI ipsius idem habere objectum proprium; rectè negat *visionem beatam & ipsam DEI*

DEI Theologiam ita dirigi ad actum vel praxin, uti nostra dirigitur Theologia, quòd è nostra sententia luculentius constat, quùm nostra Theologia dirigatur certis mediis ad consecutionem salutis, illa consistat in possessione salutis; nostra tendat ad visionem DEI perfectè, illa sit aut ipsa DEI visio, ut in beatis, aut à parte rei DEUS ipse, ut Theologia DEI Archetypus.

2. Reprobanda quoque ipsius Durandi sententia, qui quæstiones Prologi objectum Theologiæ facit opus meritorium, vel actus salutare, vel ordinabiles ad eternam beatitudinem. Adversus quem urgent alii è Scholasticis, tum quod in Theologia non intendatur præcipuè notitia actus meritorii, sed veritatum Symbolo scilicet Apostolico contentarum, tum quòd non omnia habeant attributionem ad opus meritorium; Ad præcipuum autem objectum omnia habent attributionem. Sed illis parum obtinetur adversus Durandum, qui Theologiam nobiscum asserit esse practicam. Aliis ergò rationibus Durandi reprobamus opinionem. 1. Quod nulla sint opera nostra

meritoria, quodq; ad beatitudinem nos
 per operū merita, sed per fidem in Chri-
 stum unice perducamur *Rom. III. v. 24.*
seqq: c. IV. v. 4. seqq: Gal. II. v. 16. &c.
 Opera nostra sunt debita, sunt aliena
Spiritus Sancti potius quā nostra,
 sunt imperfecta, nullamq; habent pro-
 portionem ad æternam beatitudinem.
 Non ergo æternæ beatitudinis sunt
 meritoria. 2. Quod actus salutares
 ordinabiles ad beatitudinem (si admit-
 tantur) spectent potius ad media, quā
 ad objectum, quod utiqve distinctum
 est à mediis. 3. Illud est objectum
 Practicæ disciplinæ, in quod introdu-
 citur finis. At beatitudo non intro-
 ducitur in actus nostros, non in opera;
 Ergo actus vel opera nostra non sunt
 objectum Theologiæ.

3. Non
 Deus ut
 Salvator,

3. Ludov. Crocius hanc tribuit
 Durando sententiam lib. 1. Syntagmæ
 Theologiæ p. 84. quod DEUM ut Sal-
 vatorem subjectum faciat, cui gemina
 est Ariminensis opinio, qui Deum ut
 glorificatorem subjectum constituit,
 quanquam Toletanus, Gillius, aliiqve
 Ariminensem ita explicent, quod Deus
 sub ea mensura objectum sit, quā se ostendit

dit beatis. Non possunt autem opinio-
 nes illæ sese nobis probare, quando-
 quidem Theologia *practica* sit, unde
 DEUS ut *Salvator* vel *glorificator*, non
 ad *subjectum speciatim dictum* spectat, sed
 partim ad *media*, quâ Salvatio inclu-
 dit ea, per quæ DEUS nos ad salute-
 tem perducit, partim ad *finem*, quâ ad-
 spiramus ad salutem & glorificatio-
 nem. Nec inconcinne *Crocius* eos,
 qui DEUM *subjectum Theologiæ* fa-
 ciunt, *perinde agere* dicit atque illos, qui
principem potius Politicæ subjectum fa-
 ciunt, quam *Rempubicam*, DEUM
 autem in Theologia *viatorum* sub ea
 mensura, quâ se ostendit beatis, cogno-
 sci falsum est, quia contendimus qui-
 dem ad eam perfectionem, sed dum in
via adhuc sumus, nunquam eandem
 assequimur. *Formalis* autem *objecti*
ratio ita assignanda est, ut *natura ha-*
bitus, cuius *objectum* est, qui hic sta-
 tuitur *Theologia viatorum* congruat,
 non eandem longè excedat.

4. *Argentinas* DEUM sub *ratio-*
ne veri summè diligibilis *objectum* di-
 cit *Theologiæ*, sed rectius DEUS sub ea
ratione ad finem refertur.

4. *Non*
Deus sub
ratione
veri,

5. *Non-*
nulli

5. *Nō Filius DEI aut Christus.* nulli ē Scholasticis *Verbum* vel *Filium* Dei objectum constituunt. *Bonaventura* *Christum* subjectum *adequatum* esse vult. Quos refellunt alii Scholastici eo argumentō, quōd *Verbum* vel *Christus* non contineant omnia, quæ ad Theologiam pertinent. Nos cognitionem Christi ad *media* salutis reducimus.
6. *Non opera re-
staura-
tion.* 6. *Hugo Victorinus* in Prologo lib. 1. de *Sacramentis* c. 2. asserit, *opera* *restaurationis* esse Theologiæ objectum. Sed hæc convenientius ad *media* reduci, asserit Theologiæ ratione *Practica*, manifestum est.
7. *Nō media salu-
tis.* 7. *Keckermannus* lib. 1. *Syst: Theologici* c. 1. p. 4. *Objectum* Theologiæ dicit *media* illa, quæ DEUS homini *gratiosè* concessit ad salutem, sicut *Ethicæ* objectum. 6. *Ethic.* c. 5. dicuntur ea, quæ homini bona sunt *moraliter*. At quamvis *media* sub *objecto* *generaliter* dicto comprehendantur, assignandum tamen erat *distinctè speciale* objectum, in quod per *media* illa *finis* inducitur.
8. *Non regnū DEI.* 8. *Ludov. Crocius* loc. cit. 6. *Marc.* 1. v. 14. *Luc.* IX. v. 2. *Act.* XXVIII. vers. 23. colligit, *Subjectum* Theologiæ esse *regnū DEI* in genere, & *Evangelii* objectum.

Etum esse Regnum gratiæ in specie. Ob-
jectum materiale facit res omnes, quæ
quoquo modo ad Regnum DEI perduc-
possunt. Rationem formalem objecti,
& formam regni facit actus morales, qui-
bus constet Regnum DEI, utpote ex
parte DEI creationem, Redemptionem &
Sanctificationem: Ex parte hominis fidem
spem & charitatem, & ad illa reduci
posse censet ut causas adjuvantes, vel
Instrumentales Ecclesiam, Magistratum,
Sacramenta. Tandem verò subjungit
subjectum Theologiæ proprium esse ho-
minem, quatenus DEO Regi suo subjici-
tur, conformatur & ab eo beatur. Quod
postremum, ceu rectè dictum admit-
timus: quomodo autem priora cum
illo consistere possint, non videmus:
nisi fortè illa objectum generale, vel
considerationis constituent, quæ quoquo
modo ad Regnum DEI reduci pos-
sint: Ast ita distinctius loquendum
erat Crucio; nam si homo est obje-
ctum speciale, quod ipse fatetur, uti-
que Regnum DEI in genere non e-
rit speciale Theologiæ objectum.
Adhæc non spectant omnia ad Theo-
logiam, quæ quoquo modo, ad Regnum

DEI reduci possunt, sed, *quæ ad Regnum gloria consequendum faciunt*, quam restrictionem addendam ipse postea agnoscit *Crocus*. Porro minus commodè *actus morales* dicuntur *forma Regni DEI*, incommodius *creatio, Redemptio, Sanctificatio* indigitantur *actus morales*. Occasionem autem hisce præbet *Crocus* cogitandi, quâ ratione non describi quidem accurate, sed *representari* concinne possit *Theologia*, per *αναλογια* & *admodum Politicæ*. Ut in hac scilicet *objecti materia* est *Respublica*, *actus formales* sunt *tum institutio, tum reparatio, tum conservatio Reipublicæ*, *media* item *certantur & cause adjuvantes*; ita in *Theologia* *Regnum DEI* *materiæ* instar est, *formalibus actibus* respondet *institutioni* quidem *creatio*, quâ potissimum homo ad imaginem DEI conditus est, *reparationi* *redemptio* per *CHRISTUM* facta; *conservationi* *sanctificatio*; *media* sunt ex parte DEI *Verbum & Sacramenta*, ex parte nostri *Fides*, quam sequuntur *opera*. *Causæ adjuvantes* dici quodammodo possunt *Ecclesiæ* præsertim *Ministerium, & Magistratus*.

Finis est *εὐδαιμονία* aeterna & caelestis, ad quam adspiramus.

§. I V. Generale objectum *Objectum*
vel considerationis sunt res *generale.*
omnes, quæ in Theologia occur-
runt, quæ vix commodius genera-
li nomine cōprehenduntur, quàm
religionis voce.

August. lib. 1. de doctrinâ Christiana Divisio
res Theologicas dicit, quibus aut frui- rerū, qui-
mur aut utimur. DEVM scilicet & res bus frui-
DEI, quia DEO nos oportet frui: Res mur vel
DEI, quibus nos oportet uti secundum utimur.
DEVM. Non inconcinnè, siquidem
DEUS ut finis spectandus sit, quò frui
exoptamus, rebus autem DEI utendum
secundum DEVM ceu mediis, ut Deo
aeternum frui possimus. Alii objectum
faciunt Deum & opera Dei. Alii Deum,
Angelos & homines; alii DEVM & ho-
mines solum secundum votum Augu-
stini: Domine da mihi nosse te, nosse me.
Unde dispescunt Sacram doctrinam in
Theologiam & Anthropologiam. Aliū
communi nomine objectū hoc dicunt
res divinas, Deum & quæcunq; ad Deum
ordinantur, quatenus disciplinam Dei de
naturâ

natura operibus & jure ipsius tradi oportuit viatoribus, uti Junius & Alstedius. At commodius objectum ejusmodi dicuntur res divinitus revelatae, quatenus à nobis percipiendae sunt ad salutem, quod pacto B. Meisnerus part. 3. Philos. Solon. Sect. 1. Ethic. p. 174. objectum dicitur *omnem rem divinam, quae ad salutem aeternam homo perducitur potest.* Nec incommodè idem Meisnerus noster censet, id omne uno vocabulò vocari posse *religionem*, utpote quae cuncta ad salutem necessaria, credenda & agenda completatur, & ad quam universa in Systemate Theologia proponi solita referantur, aut quendam respectum habeant, ut ita Religio ipsa constituat materiale hujus objecti, formale autem quatenus per eam ad salutem promovemur. Quae sententia etiam nos acquiescimus, donec commodius quid ostendatur, quod explicari possit generale objectum, sequiturque eandem Wendelin: & alii plures. Ratio autem ejusdem è plenior de Religione tractatu patebit, ad quem jam accingimur.

CAPUT XII.

De
RELIGIONE.

§. I.

Religio consideranda nobis erit, tum quoad ὀνομασολογίαν seu nominis declarationem, tum quoad πραγμασολογίαν vel rei explicationem. In illa occurrit 1. nominis derivatio, quod rectissime videtur deduci à religando, eò quòd DEO nos eadem religemur ceu vinculo quopiam, ut ei uniamur ad salutem.

*Religionis Nomen.
Derivatio.*

Variae occurrunt nominis rationes, præcipuè autem quatuor. (1.) *Manfurius Sabinus* in *Comment: de Indigenis* referente *A. Gellio lib. 4. Noct. Att: c. 9.* à relinqvendo dictum putat. *Religiosum*, inquit, est, quòd propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum à nobis est, verbum à relinqvendo ductum tanquam *Ceremoniæ à carendo*. Sic etiam *religiosum* dici innuit *Macrob. lib. 3. Saturnal: c. 3.* & in eandem sententiam adducit

ducit *Servium Sulpitium*. Hoc patet
templa ac delubra religiosa dicta cense-
 tur, quod ob sanctitatem reverenda
 reformidanda potius sint, quam invu-
 ganda: *dies autem religiosi*, quod
 contraria causa propter omnis di-
 tatem relinquendi. (2.) *Cicero lib.*
de natura Deorum, & *Zwingl. lib.*
vera & falsa religione, & alii à relege-
 do derivant; qui *tota die*, inquit *Cice-*
ro, *precabantur & immolabant*, ut
sui liberi superstites essent, *superstitio-*
sunt appellati, quod nomen patuit poste-
 latiùs; qui autem omnia, quæ ad cu-
 tum *Deorum* pertinerent, diligenter
 tractarent, & tanquam relegerent
 sunt *religiosi à relegendis*, ut eligentes
 eligendo, & ex intelligendo intelligente.
 (3.) *August. lib. 10. de Civ. Dei c. 4.* ab
 gendo, à quibusdam innuit, deductum
 quod iterum *eligamus Deum per religio-*
nem; *Ipse*, inquit, *est fons nostræ beatitu-*
dinis, ipse est omnis appetitionis finis. *Hu-*
eligentes vel potius religentes (amiserunt
 enim negligentes, hunc ergò religētes, ut
 & religio dicta perhibetur) ad eum di-
 ctione tendimus, ut perveniendo quiesca-
 mus, idèò beati, quia illo fine perfecti.
 (4.) *Idea*

(4.) Idem August: lib. de vera religione c. 55. & Hieron: in c. 9. Amos, ut & Ambros. lib. de virginibus, nec non Lactantius Institutionibus divinis lib. 4. c. 18. à religando derivari dixerit, quod DEUS hominem sibi religaverit, & pietate quasi vinculo constrinxerit dicente Lactantiô; quod religione quasi in fascem Domini vincti & religati simus, uti Hieron: ait libr: cit: Quæ Etymologia, ut præcipuis Latinorum Patrum, nec non Gellio l. c. probata, ita rei naturæ non minus, quam ipsi voci videtur convenientissima, quum & formam & finem religionis concinnè innuat.

§. II. 2. Nominis æquivocatio: quod religionis vox usurpetur vel abusive, vel propriè; tum adæquatè, tum inadæquatè, aut latiori significatione aut strictiori.

2. Nominis æquivocatio.

Ad has acceptiones pleraque significata vocis reduci possunt. 1. Abusive occurrit (a) pro superstitione ut apud Nigidium Figulum l. ii. Comm: Grammaticorum, qui ex antiquo carmine hunc refert versum: Relegantem esse oportet, Religiosum nefas. Et religiosum cum

Accept: impropria.

eum appellatum esse innuit, qui nimis
 & superstitiosa religione sese alligaverunt
 observatq; inclinamentum hujuscemodi
 verborum, ut virosus, mulierosus, reli-
 giosus, nummosus signare copiam quan-
 dā immodicam rei, super quā dicitur. Non
 autem esse hanc observationem per-
 petuæ veritatis docet Nigidius, Criti-
 cus juxta Varronem Gellii judicio doctis-
 simus, exemplis aliis; ingeniosus, formo-
 sus, officiosus, speciosus & disciplinosus
 Consiliosus, Victoriosus, quæ M. Cato
 effigurarit, quæ nunquam in culpam, sed
 in laudem dicuntur (B) accipitur religio
 eò sensu quò nefas, ut apud Terentium:
 Nihil esse mihi religio est dicere; Ita re-
 ligio & nefas permutari solent, reli-
 gionem ducere, & nefas ducere. Huc
 pertinet, quod religiosi dies dicantur tri-
 sti omine infames impeditiq;, in quibus &
 res divinas facere, & rem quampiam no-
 vam exordiri temperandum est, quos
 multitudinem imperitorum perperam
 atque pravè nefastos appellare ait Gel-
 lius l.c. Conf. Cic: lib. 9. Epistolarum ad
 Att: Epistola 4. (γ) abusive religio dici-
 tur apud Pontificios, cum eam defini-

unt statum hominum ad perfectionem
 Christianam per paupertatis, continentia
 & obedientia vota tendentium; Bellarm:
 lib. 2. de Monachis c. 2. Hæc autem
 Pontificiorum religio mera est supersti-
 tio. Nihil de illa in Scriptura habetur,
 quæ unica religionis norma. CHRIS-
 tus & Apostoli exemplum nobis sunt
 perfectionis Matth. XII. 28. 1. Cor. XI. v. 1.
 qui ea vota minimè præstitere, eam re-
 ligionem non coluere, Evangelica con-
 silia, ad quæ provocant adversarii, me-
 ra sunt figmenta Papistica. Quid?
 quod Religiones illæ Scripturæ pror-
 ius adversæ sint, cum iisdem in obser-
 vatione legis merita statuuntur, ad ple-
 nam perfectionem hic pertingere nos
 posse asseratur, imò plura præstari pos-
 se fingatur, quàm in lege præscripta,
 plura quàm ad salutem requirantur,
 adeò ut aliis erogari queant merita,
 operaq; non præcepta falso dicantur,
 præstantiora quàm opera præcepta, quæ
 omnia Sacris literis apertè repugnant.
 Omnium piorum est, non tantum reli-
 giosorum istorum ad perfectionem con-
 tendere Matth. V. v. 47. 1. Corinth. XII.
 v. 31. Eph. IV, v. 13. Col. I. v. 28. perfe-
 ctio

Etio autem vera consistit non in voto
 paupertatis, obedientiae, & continentiae
 monasticae, sed in fide & charitate Coloss.
 III. v. 14. Matth. V. 47. Votum pauper-
 tatis monasticae verè ridiculum est, vo-
 tum continentiae perpetuae verè temera-
 rium est, votum obedientiae illimitatae &
 absoluta verè stolidum est. Omnia ve-
 rè frustranea sunt Matth. XV. vers. 9.
 & quae meritoria & satisfactoria fini-
 untur verè impia & blasphema. Ideo
 que meritò Job. Gerson in propositioni-
 bus adversus conclusiones Matthaei Gra-
 vii (à 13. Doctoribus approbatis) pro-
 positione 1. fatetur, religiones istas facti-
 tias satis improprie & abusive & forsan
 arroganter dictas esse status perfectionis.
 religionem Christianam non requirere ad
 perfectionem sui observationem tam in
 praecipis, quam in consiliis ut superad-
 datur alia religio, quales dicuntur ob-
 servationes institutae per sanctos Basili-
 um & Augustinum & quales vocat Ans-
 helmus religiones factitias &c. Nicol. de
 Clemangis libro de corr: Ecclesiae statu
 c. 22. agnoscit, hanc esse perfectorum
 veram justitiam, ut nunquam arbitrentur
 se perfectos &c. Cajetan: Cardinal: at-
 tende,

tende, inquit, in c. XIX. Matth. quod nullum votum à Jesu praescribitur, volenti vitæ perfectionem assequi, quia non in vinculis votorum, sed in operibus consistit perfectionis assecutio. Conf. hîc Apolog. August. Confess. t. de votis monast. & observetur, quod Imperator, Principes & Theologi Romano-Catholici articulum 16. August. Confess. ficticia isti Pontificiorum religioni oppositum approbaverint ut conformem non solum Juri civili sed & Canonico, Evangelico Sacra Scriptura, atque adeo toti fidei analogia. Hac de impropriis vocis religionis acceptionibus. Propriè accipitur tum *Accept.*
 inadæquatè tum adæquatè. Inadæquatè *propria,*
 pro cultu DEI & quidem ἰ. κρείττος & *inadæ-*
 præcipuè, quò immediatè DEUS colitur *qvata.*
 seu pro pietate, quæ ad cultum DEI, secundum primam legis tabulam spectat, & ἰσχυρισμός vel religionis voce frequenter designari solet, unde religiosa adoratio & invocatio propriè dicitur cultus ille, qui soli DEO debetur vi tabulae primæ. Quod tum ex usu vocis, tum ex etymo constat. Quum enim religio dicatur, quod Deo religemur, ideoque propriè ille cultus, quò

immediatè DEUM prosequimur, religio appellabitur. Sic apud Græcos vox θρησκεία originem habet à Thracibus, annotante Plutarcho, Suida & Nazianzeno, quia ritus & ceremonias, quibus DEUM coli velle, Orpheus primū docuit Thraces, dixere θρησκείαν. Unde porrò illud ad decentem veri numinis cultum traductum est. Quod ad usum accipitur vox religionis apud Vulgarem Interpretem pro doctrina vel cognitione DEI, vel cultu aut rebus quibus colitur DEUS Exod. XII. v. 26. & 43. Num: XXIX. 2. Eph. VIII. v. 17. c. IX, 27. 2. Macc: VI. v. 11. Ita Bellarm: & Gregori: de Val: describunt religionem cum Thoma, quod sit virtus moralis quæ hominem inclinatur, ut Deo debitum honorem & cultum exhibeat tanquam omnium Creatori & Domino. Ad hanc inaequatam primariam acceptionem pertinet, quod sapientiam & religionem distinguat Lactantius lib. 3. Instit: c. XI. Naturam hominis hanc DEUS esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapientia, sed homines ideò falluntur, quod aut religionem suscipiunt omissa sapientia, aut sapientia

pietia soli student omiffa religione, cum alterum fine altero non poffit effe verum.

2. δευτερος & fecondario minusq; praecipue adhibetur pro aliis officiis, quibus mediate folum DEO honor exhibetur, quae ad fecondam tabulam legis fpectant, quandoquidem cultus DEI juxta tabulam fecondam mediatu fit, & quae proximo exhibemus officia, ex vera & fincera religione ac pietate erga DEUM proficifci debeant: Amor proximi amorem praefupponit DEI, unde fecondario per analogiam religionis nomine veniunt officia charitatis erga proximum. Sic Jac: I. v. 27. ὁρθοκεία re-

Jac: 1, 27.

ligio pura & incontaminata apud Deum dicitur, inuifere orphanos & viduas, & incontaminatum fe praefervare a mundo.

Vocat autem Jacobus curam orphanorum fepecialiter religionem in oppofitione ad Pharifaorum perversum morem, qui religionis praetextu domos viduarum abfumebant Matth. XXIII, v. 13. & religionem magis ponebant in nudis legis Ceremoniis, quam in operibus dilectionis. Cum ergo opera charitatis e fide procedant Galat: V. v. 6. illae vero Ceremoniae absque fide peragerentur, hinc

potiori jure illa, quàm hæ, religionis
nomen merebantur. Conf. Hof. VI. v. 6.
Matth. IX. 13, c. XII. 7.

Adequa-
tè.

Adequatè vox religionis omnia
illa complectitur, quæ vel ad pietatem
ergà DEUM, vel charitatem ergà proximum
faciunt, imò comprehendit omnia,
quæ in Theologia traduntur, si-
ve agenda sint, siue credenda, nec sapi-
entiæ contradistinguitur, sed eandem
includit. Hoc sensu vox accipi-
detur Act. XXVI, v. 5. quæ Judaica reli-
gio distinguitur à Pharisæica heresi; &
Jac: I. v. 26, Si quis videtur religiosus in-
ter vos, non refrænans linguam suam,
hujus vana est religio. Ubi Salmero
quidem intelligit eos, qui secundum con-
silia Evangelica perfectionem secuti fue-
rint, sed ea religionis significatio ficti-
tia est; nec ulla novit ejusmodi con-
silia Scriptura Sacra, reprobatque
sententiam illam Justinianus & Cor-
nel. à Lap: cò, quòd Apostolus hîc ser-
monem in genere dirigat ad eos, qui-
bus scribit, non verò ad nonnullos,
putatitiam illam perfectionem sectantes,
ideoque religiosum quemvis hominem
fidelem DEUM decenter colentem intel-
ligunt.

ligunt. Quibus etiam suffragatur
Estius in Comm: ad hunc locum.

§. III. Nominis distinctio, 3. Nomi-
 quâ juxta nomen *ὀμωνύμων* acce- nis distin-
 ptum distinguitur religio in ve- etio in ve-
 ram & falsam. ram &
 falsam.

Distinctio hanc nominalem esse inde patet, quòd illa solum verè ac propriè, hæc autem non nisi falsò & impropriè religio nuncupetur. Dicitur autem rursus vera religio tum de ea, quæ in *statu integritatis* locum habebat, quâ homo ad imaginem Dei conditus Deo³ religatus fuit, tum de illa, quæ post lapsum obtinet, quâ homo imagine divina privatus ad DEUM reducendus, eiq; denuò religandus est ad æternam salutem, quæ Christiana, distinctionis causâ, dici potest religio, cum per Christum unicè ad salutem perducamur *Actor. IV, vers. 12. Falsa religio de quovis DEI cultu superstitioso, ut & hæreticis de DEO & rebus divinis opinionibus dicitur, quo pacto vocamus religionem paganam, Mahometanam, Papisticam, Calvinisticam &c. quæ non nisi æquivocè hoc nomine veniunt.*

Col: II, 18. *Speciatim religionis nomine equivocatus cultus Angelorum designatur Col: II. v. 18. ubi per religionem Angelorum intelligitur falsam quandam religionem & superstitionem* è contextu clarum est, omnesque *Interpretes agnoscunt, quam ἐθελοθρησκείαν cultum arbitrarium seu proprio arbitrio inventum, vel, ut vulgata habetur superstitionem vers. 23. dixit Apostolus. De quonam verò Angelorum cultu fermo sit, Interpretes variant, cum primis Pontificii, qui varia hinc conquirunt & comminiscuntur, ne Angelorum adorationem religiosam ab Apostolo reprobari, admittere opus habeant, vel quod 1. de affectatione Angelici muneris eorum agatur, qui se ceu Angelos vel nuncios DEI insinuant, ut Cajetan: cum glossa interlin: & Lyrano exponit, vel quod 2. cultus Daemonum apud Judæos receptus reprobetur; vel quod 3. de Cerinthianis fermo sit, qui Angelos coluerint super CHRISTUM, ut Baron: ex Irenæo, Epiphanio & Theodoro contendit, vel quod 4. contra eos differatur, qui ex Ethnica Philosophia nos mediantibus Angelis purgari oportere dicerent, Angelosque etiam super Christum*

stum honorarent, quæ Estii est sententia. Sed prior opinio consistere nequit; non enim de *simulatione*, sed *adoratione Angelorum* hic agitur, nec *affectatio dignitatis Angelica*, sed *hypocritica humilitas* hic reprehenditur, ideoque sententiam illam *coactam* esse agnoscit Estius in *Comm: ad hunc locum*. Secundam opinionem in *historiam* impingere itidem fatetur Estius; cum *Judeos* post *reditum e captivitate Babylonica* in *Dæmonum cultum* relapsos esse, nusquam legatur, satisque manifestum est, hic de *bonis*, non de *malis* Angelis, agi. Tertiam sententiam refellit *Justinianus* in *hunc locum*, eò quod *Cerinthus* Angelos non fuerit religioso cultu veneratus, sed potius tanquam *malorum autores* execratus, teste *Epiphanio*. Quarta probari non potest ex *antiquitate*, quod nempe nonnulli juxta *Platonicos* de Angelis sentientes eos *supra Christum* honorarint, aut quod de iis hic sermo sit. *Bellarminus* quidem *l. 1. de beatitudine Sanctorum c. 12.* & *Costerus* in *Enchir: nec non Sasbotus* in *Comm: ad hunc locum*, *Simoni* tribuit, quod *Angelos quasi minores Deos adorandos*

*randos docuerit, nec posse ullum placare
 summum DEUM nisi per Angelos, se
 nec id admittit Baron: T. I. Annal. ad
 annum CHRISTI 60. num: 17. vel etiam
 Justinian: in Comm: ad hunc locum
 quin negant à Simone M. cultum Ange-
 lorum introductum, eumque potius
 Angelos malè affectum fuisse ex Irenæo
 Epiphano, Theodoro docent. Ve-
 rum enimverò, quicquid de illis sit
 sive Cerinthianis, sive Simonianis, sive
 aliis hæreticis istius ætatis cultus Ange-
 lorum tribuatur, quemadmodum Au-
 gustinus Angelicos quosdam commemo-
 rat, qui in Angelorum cultum inclinã-
 rint l. de hæres: c. 39. & Chrysost: hom. 7.
 in Epistolam ad Coloss. Sunt quidam
 inquit, qui dicunt, non oportere per
 CHRISTUM adduci, sed per Angelos. Et
 Theodoretus observat nonnullos Angelos
 colendos dixisse, ut per quos lex lata fue-
 rit, & oportere per Angelos benevolen-
 tiam DEI nobis conciliari, nosque ad
 DEUM pervenire; quod vitium in Phry-
 gia & Pisidia diu mansisse ait, ut inde
 Synodus Laodicensis lege prohibuerit, ne
 invocarentur Angeli: Certum est, Ange-
 lorum religionem seu cultum & adoratio-
 nem*

nem religiosam hinc ab Apostolo reproba-
ri; Nec diffiteri possunt ipsimet adver-
sarii, Bellarminus, Costerus, Salmero, Ju-
stinianus, Estius, sermonem esse de Ange-
lorum veneratione, quam universaliter,
quâ religiosa veneratio Angelis de-
fertur, damnari ut ἐβελοθησκείαν, &
Interpretes veteres docent, & textus
luculentissimè convincit. Sed hæc de
istò loco hinc paucis ex occasione.

§. IV. Appellatio Synonymi-
ca, quâ Græcis vocatur θρησκεία &
θεοπέπεια.

Illud nomen occurrit Jac. I. 27.
hoc tribuitur eidem à Clemeute Alex. l. 3.
Stromat. Vocatur & altior Philosophia
à Chrysostomo, & quæ hujusmodi alia
sunt nomina encomiastica.

§. V. In πραγμασιολογία expe-
dienda sunt itidem quatuor: i. *Definitio*
Descriptio: Est autem religio Chri-
stiana ratio à Deo præscripta, quâ
homo à Deo alienus ad Deum
perducitur, ut eo æternum, frua-
tur.

§. VI. (2.) *Attributorum* consideratio; quæ potiora sunt necessitas, antiquitas, unitas, veritas, sanctitas, ἐνέργεια, & in tranquillandâ conscientiâ efficacia, ac denique invincibilitas religionis.

*Attributa
religionis
Christiana.*

Necessitas, quod non tantum verè datur religio, sed eam etiâ dari necessum sit; quòrum illud è revelatione divinâ constat, *Matth. XI. 21. c. XVI. 17. 1. Cor. II. 11. seqq.* quâ positâ religio ponitur: Cum relata ea sint *hoc* autem, quod ad necessitatem hypotheticâ, facile probatur. Si enim unice à Dei arbitrio & cultu Dei pèdet, & modus perveniendi ad Deum, oportet utiq; illum revelari divinitus, ut innotescat, ne Deus præter voluntatem *ἕθελοβροκεία* humanâ colatur.

Necessitas.

Antiquitas hæc est, quod statim post lapsum operit religio, ac probatur, tum è *causâ in actu positâ*: divinâ revelatione, de reparatione generis humani post lapsum, *Genes. III. 15.* protoplastis factâ, ac deinceps ad Patriarchas repetitâ *Genes. XII. XIX. XXII. XXVI. &c.* tum ab effectu, quod

Antiquitas.

Veteribus definitur *via ad salutem*. Sed hæc descriptio paulò restrictior & propria Christianæ est religioni, quam Theoremate expressimus. In quo

(1) *Genus* occurrit notandum. Vix autè commodius suppetit, quàm quod hîc assignavimus, ratio: quum illud nomen *generale* sit & cõplecti possit omnia, quæ ad fidem vel cultum DEI spectant.

(2) *Differentia* specifica: quæ tum ab *Autore* desumpta est, DEO, à quo præscripta vel tradita est in verbo ejus; cum *divinæ* sit *revelationis*, non *humana inventionis* Matth: XI. 27. 1. Cor: II. II. uti potest solus Dei voluntatem suam de se colendo patefacere, cultusq; sui normam præscribere ac modum ad se perveniendi cõstituire; tum ab *objecto hominè* à Deo alieno propter peccatum, quâ ad Deum *perducendus est*; tum deniq; à *sine, æternâ* Dei fruitione & *salute*. Quæ omnia, quum è definitione ac causis Theologia pateant, hic persequi operosius, minime opus est. Differt itaq; Religio Christiana à religione *paganâ*, *Turcicâ*, *Judaicâ*, *Hæreticâ*, quippe quæ neq; autorem habeant Deum, neq; adducere valeant hominem ad Deum.

quod primi parentes & ab illis progeniti *Abel* Gen: IV. 4. Ebr: XI. 4. *Seth* ejusq; filius *Enos* Genes: IV. 26. *Enoch* Gen. V. 14. Ebr: XI. 5. atque ita consequenter ceteri Patriarchæ Deum coluerint, nomen Dei prædicarint, sacrificia Deo obtulerint, vitâ divinâ tradiderint. Ratione ergo habuerunt Deum colendi, vereq; ad Deum perducti sunt. Conf. *Act. XV. 11.* Ebr. XI. 6. *Unitas*, quod non nisi unica sit ratio ad Deum perveniendi, *Job: XIV. 6.* *Act. X. 3. 4. c. IV. 12.* *Eph. IV. 5. 6.*

Veritas. *Veritas*, quod religio Christiana per omnia verissima sit, nec quicquam falsi admixtum habeat, imò sola sit vera; quia sola nititur DEI verbo, quod est veritas *Joh: XVII. 11.*

Sanctitas. *Sanctitas*, quod nihil nisi sanctum quid sit, contineat, *sancta præcepta* tradat, *sancta mysteria* patefaciat, & ad *veram sanctitatem* perducatur. *Levit. XI. 44. c. XIX. 2.* *1. Petr. I. 16.* seqq: *Job. XVII. 19.* *ἐνέργεια* & *efficacitas*, quod vivificam pariat consolationem adversus quasvis tentationes, & pacatam ac tranquillam reddat conscientiam, imò hilarem ac lætam, etiam in tribulatione.

lationibus Rom: XV. 4. c. XIV. 7. 8. 2.
Cor: I. 3. seqq.

Invincibilitas, quod succumbere non
possit, tum ob *immotam veritatem*, tum
ob *professorum constantiam & fidem*, quos
Christiana religio vere reddit *ἀκνῆ-
τας* seu immotos, & *ἀνικῆτας*, seu in-
victos, ut nulla violentiâ, nullâ frau-
dentiâ ad veritatem abnegandam
induci queant, ut exemplo sunt *Mar-
tyres* pro religione ad sanguinem de-
certantes. Vid: Ebr: XI. &c.

*Invincibi-
litas.*

§. VII. Professio, quæ fit Sym- 3. *Symbo-
bolis*, qualia religionis Symbola, *lica pro-
fessio.*
tium antiquiora sunt & Oecume-
nica in toto Christiano Orbe re-
cepta, utpote Symbolum Apo-
stolicum, Nicenum, Constantino-
politanum, Ephesinum, Chalce-
donense, ut & Athanasianum; tum
recentiora, minusq; universalia,
Ecclesiæ Lutheranae propria,
Augustana Confessio, Apologia
ejusdem, Articuli Smalcaldici, Ca-
techismus uterq; B. Lutheri, &
Formula Concordiæ.

In hisce confessionibus fidei religionis Christianæ *Summa* continetur, si conjunctim accipiantur, non verò solitariè spectentur; iisq; vera Christiana religio discriminata fuit, & adhuc discernitur ab aliâ quavis: ideoq; *Sym-bola* dicuntur, quod sint *tessere vera Ecclesie Christianæ*, quibus *Christiani* atq; *Orthodoxi* agnosci, & à *Paganis* atq; *Heterodoxis* dignosci queunt. Non tamen ideò quodlibet *Symbolum* ceu *perfectum Summarium credendorum* habendum, aut de *Symbolo Apostolico* cum *Cassandro*, *M. Anton. de Dominis*, *Calixto*, *Drejero*, & *complicibus* statuendum, quod *omnia & singula credenda in eodem contineantur*, adeò ut nihil creditu necessarium, vel pro articulo fidei è revelatis divinitus haberi debeat, quod *Symbolo Apostolico* haud comprehendatur: quem errorem in *Institutionibus Theologicis part. 1. p. 214* & alibi profligavimus. *Sym-bola* pro re natâ concepta sunt & adornata si- ve *Christianorum* à *paganis*, & *Judaïs*, si- ve *orthodoxorum Catholicorum* ab his illisvè pro tempore *Ecclesiam turbantibus hæreticis* digno-

scendi

licendi gratiâ. Qui ergò fidei articuli ab hæreticis tum temporis non fuere sollicitati, vel in dubium revocati, prætermisisti sunt in Symbolis, hæreticis oppositis. Πρὸς γὰρ ὑπόπληθον ἐν καιρῶ καὶ καιρῶ αἱ Σύνοδοι τὴν ἀσφάλειαν ποιεῖν. Quippe de his, quæ singulis temporibus occurrunt, cavere Synodi (per Symbola) ac decernere solent, ait Epiphanius. hæres. LXXIV. De Symbolis istis in specie hic non attinet dicere; habet ea tractatio alibi suam sedem.

§. II. 4. Oppositorum designatio. Religioni verò Christianæ opponuntur falsæ religiones tum eorum, qui sunt extra Ecclesiam, tum qui intra Ecclesiam. Illa tum pagana est, tum Mahometana, tum Judaica. Hæ verò tum Hæreticorum sunt, tum Atheorum.

4. Opposita.

Pagana gentilium est, & Scripturarum & Messie cognitione prorsus destitutorum. Reliquæ, etsi aliquam Messie cognitionem inferant, maximè tamen errant, tum in applicatione, ut

Falsæ Religiones.

Calixtus
notatur.

Judaica JESUM Messiam esse negans, tum in doctrina ejus blasphemam perversionem, ut Mahometana. Calixtus religionem falsam ita distinguit, desider. & stud. Concord: Eccles: th. 1. 2. 3. quod alia sit eorum, qui Scripturas θεόπνευστον nullam aut norunt, aut admittunt, utpote Ethnicorum gentilium paganorum, idololatrarum; alia eorum qui admittunt sive codices solum Vet. Testam: ut Judeorum, sive etiam libros Novi Testamenti, ut Muhammedanorum; quos ab idololatria alienos esse, censet; alia eorum, qui Christianorum se titulo venditant, eo tamen nomine vix digni sunt, quod precipua fidei Christiane mysteria abnegent, ut sunt Neo-Photiniani & Anabaptiste. At fallit & fallitur Calixtus, dum & Judeos modernos atq; Mahometanos ab idololatria absolvit, qui non unum illum verum DEUM, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, sed idolum quoddam mentis suae adorant, & Pontificios ac Calvinianos hereticos accenseri renuit, imò pro fratribus in Christo admittit, & civibus regni DEI, & CHRISTI, quò errore divortium facit à fide Lutherana, librisque Symbolicis;

licis, (quibus fidem dedit,) quod alibi, & imprimis in *Instit. Theolog: ex professo* demonstratum dedimus.

Hereses itaque quod concernit, *Hereses:* alia sunt veteres, alia nova & renovata. E veteribus celebriores sunt *Arianismus*, & *Pelagianismus*: è recentioribus famosiores sunt *Papismus*, *Zwinglianismus*, *Socinianismus*, *Arminianismus*, *Anabaptismus*, *Weigelianismus*: quibus accessere *Antinomorum*, *Synergistarum*, *Majoristarum*, *Flacianorum*; ut & *Modernorum Novatorum veteres errores*, non absque schismate Ecclesie, in crustantium opiniones erroneae. *Atheismus* denique alius inchoatus est, alius consummatus; Inchoatus est *Samaritanismus*, ad quem hodiernus *Syncretismus Calixtinus* pertinet, viam sternens ad *Atheismum*, ut alibi ostensum. Consummatus secundum quid, est *Puccianismus*; absolutè consummatus est *Epicureismus*. Confer. de his

Instit. Theol. part. 1.

cap. II.

CAPUT XIII.
DE DEFINITIONE ET
AFFECTIONIBUS THEOLO-
GIÆ.

Theol.
Definit.

§. I. **T**heologia est habitus Practicus cognitionis è revelatione Divinâ haustus de verâ religione, quâ homo post lapsum per fidem ad salutem æternam perducendus.

Expeditis Causis Theologiæ, superest, ut *definitionem* ejusdem non tam expendamus, quam è *Causis* collectam resolvamus, ut & *affectiones* Theologiæ, quæ ad naturam ejusdem à *posteriori* declarandam faciunt: ac denique *distributionem*, quâ eadem in partibus exhibetur, prout in *definitione* integra quasi spectanda repræsentatur. Absolvetur autem tradita definitio *Genere* ac *Differentia specificâ*. I. *Genus* remotius est habitus, sc. intellectualis, isq; *principalis*, quo removemus *Inconvenientia* genera utpote (1.) *Doctrinam*, (2.) *Disciplinam*, (3.) *Revelationem*, (4.) *Agnitionem veritatis*. II. *Proximum* est habitus *Practicus*: Unde exclu-

Genus
Theol.

excludimus habitum (1.) *Mixtum* vel *Compositum*, (2.) *Habitus Medium* inter purè speculativum & Practicum, (3.) *Intellectum* & *prudentem usum*, (4.) *Scientiam*, *Sapientiam*, & *Prudentiam* conjuncta, (5.) *Scientiam* & *Sapientiam* itidem copulata, (6.) *Scientiam* & (7.) *Sapientiam*, quæ omnia alii perperam assignant loco generis.

III. *Proximum Genus* est habitus *Practicus* è *revelatione Divinâ* haustus, vel *theodol*, quo removetur (1.) *Prudentia* & (2.) *Ars* ab aliis loco generis venditata. *Differentia specifica* petita est à *Causis* reliquis præter *formam*, quam *genus* exhibet, utpote partim ab *Efficiente principali*, quæ *DEUS* est, & *Media*, quæ *revelatio Divina*; partim à *Materia*, vel *Objecto Theologiæ*, quod tum *Tractationis* est, *vera religio*, tum *Operationis*, *homo peccator*, quæ perducitur ad *aternam salutem*: partim denique à *Fine* tum *Ultimo*, qui est *aterna salus hominis*, tum *medio* eoque *Interno*, qui est *hominis perductio ad fidem & salutem*, & *Externo*, qui est *fides Salvifica*. Quæ omnia è superiori tractatione manifesta sunt.

Differ:
specif.

Removentur ergò Differentiæ, quæ vel non desumuntur à *Causis*, vel ab *alienis* minùs rectè assignatis causis petuntur: vel Theologiam sistunt, quâ est *habitus perveniendi ad salutem*, (non *perducendi alios ad salutem*) quum Theologia rectius definiatur, quæ est *habitus Theologorum*, quàm *salvandorum*, prout *Medicina* *habitus Medicorum* est, non *agrotorum*. (4) *Doctrinam juris cælestis* *Matthie Martini*. (5.) *Doctrinam benè vivendi* *Petri Rami*, quorum ille in *Objecto*, hic in *fine* assignando hallucinatur. &c.

Theologia
affectio-
nes.

1. Unitas.

§. II. Affectiones Theologiæ potiores sunt: Unitas, Veritas, Necesitas, Dignitas, Sanctitas.

Una est per modum *habitus totalis*, qui è pluribus partialibus notitiis constat, qualis unitas est *Physica*, *Philosophia Practica* &c. Ea autem colligitur ex *Objecti* & *Finis identitate*, *mediisq;* ad unum finem directione.

2. Veritas.

Vera est, quia è *revelatione Verbi Divini infallibili* profecta: quemadmodum *Philosophia vera* est, quâ è *patefactione DEI in naturâ* originem habet, unde liquidus consensus est Theologiæ cum

eum Philosophia, quia *verum semper consonat vero*, nec contrariari sibi invicem possunt, quæ in *Scripturâ* revelata sunt, & quæ in *naturâ*, cum utriusq; revelationis autor sit DEUS; Ideoque Theologia opponenda non est Philosophiæ, sed hæc illi subjicienda 2. *Corinth. X. 5.*

Necessaria est ex hypothesi, è finis consecutione, de perducendis hominibus ad salutem viâ doctrinæ & institutionis. *Job. XX. 31. Luc. X. 24. Rom. X. 10. seqq. 2. Tim. III. c. 5. seqq.* Ideoque commendatur omnibus divina Sapiencia divino mandato *Deut. VI. 7. Prov. IV. 5. Jer. IX. 24. Col. III. 16.*

Dignissima est, ac dignitate suâ omnes superat alias disciplinas: quæ conciliatur eidem ab *origine*, ab *objecto*, & à *sine*, quia à DEO est, de DEO docet, & ad DEUM ducit: præ qua cognitione supereminenti alia omnia damnium ac *σπίβαλα* sunt *Phil. III. 8. Jer. IX. 23. 24. 1. Cor. I. 31.* Unde *Theologorum* summa præ aliis effulgescit *dignitas*: quos etiam DEUS ipse præferri voluit hæc in vitâ, *1. Tim. V. 17.* & olim in alterâ fulgentiores redditurus est *Dan. XII. 3.* Agnoscendum itaque ac gratâ mente

3. *Necessitas.*

4. *Dignitas.*

celebrandum divinum revelatæ Theologiae principium *Deut. IV. 6. Psal. CXLVII. 19. 20. 1. Cor. I. 4. Coloss. I. 9. Matth. XI. 25.* nec quicquam magis in pretio habendum, quam S. S. Theologiae donum verè divinum ac coeleste omnibus terrenis thesauris longissimè anteferendum *Psal. XIX. CXIX. Prov. III. 15. Jer. IX. 23.*

5. Sanctitas.

Denique Sanctissima est, eoqve nomine καὶ ἁγιότητα Sancta, & Sacrosancta dici consuevit. Sanctitas ejus est ab autore D.E.O. ter Sancto, medio Verbo DEI Sacrosancto, Objecto rebus sacris, formali ratione, quod veram sanctitatem unicè tradat. *1. Pet. I. 16. Job. III. 17. & effectu, quod sanctificet, & ad perfectam sanctitatē tandem deducat, Job. XIII. 17, I. Job. II. 3.* Sancta est ratione subjecti, quod sanctum requirit, *Sap. I. 4.* Sancta ratione modi tractandi, quod non nisi sanctè tractari debeat Studium Theologiae ab omnibus; ἕκαστος ἕκαστος ἔστω βέλῃλος, procul, procul este profani: Sancta sit intentio cum suscipimus, sanctum studium, cum in eā versamur, sancta vita, qua exprimendum id, quod in eadem discimus, aliosq; docere cupimus, cum aliis

aliis typi Sanctitatis evadere debeamus
 1. Petr. V. 3. Sancta deniqve ratione
 mediorum, quibus opus est ad S. Theo-
 logiæ studium: quæ tria sunt potis-
 simum: *Oratio, Meditatio, Tentatio,*
 ut præclare docet *B. Lutherus Tom. I. Oper. Germ. Jenens. è Psal. CXLX. Ora-
 tio inchoat Sacrum studium Proverb. III. 2. Jac. I. 5. Meditatio continuat
 Psal. I. 1. Tentatio consummat Esa. XXVIII. 19. 1. Petr. I. 7.* Unde semper
 vacare debet Studiosus Theologiæ,
 1. *Sanctæ Orationi*, quia semper opus
 habet Divinâ gratiâ & benedictione
Luc. XI. 13. Job. XVI. 23. Nec non 2.
Sanctæ Meditationi, quia Verbum Do-
 mini semper custodiendum corde fi-
 deli *Luc. XI. 28.* Ut & 3. *Agoni spiri-
 tuali ac Sancto*; quia nunquã cessat caro
 luctari adversus spiritum, cui nunquam
 non resistendum per Spiritus S. auxi-
 lium *Galat. V. 12.* nunquam cessant
ἡ ἀβύσσος, quæ omnibus agonem su-
 perantibus evadunt salutaria *ἡ ἀβύσσος*
ἢ Esa. XXVIII. 19. Hæc etiam pau-
 cis de definitione ac attributis Theo-
 logiæ ὡς ἐν ἐπιτομῇ proposuisse suffi-
 ciat. Restat, ut nunc tribus lineis par-
 titionem Theologiæ expediamus.

CAPUT XIV

ET ULTIMUM.

De,

THEOLOGIÆ
PARTITIONE.

§. I.

*Theologiae
distribu-
tio.*

Theologia, quod ad varium tradendi modum, distribuitur in Catechetica, seu rudiolem & acroamaticam, vel accuratiorē; & hæc vel Exegetica est, vel Didactica, vel Polemica, vel Ascetica, vel Ecclesiastica, vel Casistica; quibus addi potest Patriistica, & Scholastica Theologia.

Distinctio hæc non purè quidem *nominalis* sed *realis* est: Interim non facit propriè ad Theologiæ *partitionem*, sed eidem supponitur: quia *partitio* instituenda est juxta *Theologiæ partes*; ibi verò pro *diverso tradendi modo* sive *juniorum & tyronum*, sive *perfectiorum* captus

capituli accommodato, & hoc iterum si-
ve Scholastico, siue Ecclesiastico &c: dis-
tribuitur, quo de vid: *Instit: Theolog:*
part. 1. cap. 1. p. 14.

§. II. Theologiam in tres par- *Partes*
tes distribuimus. Prima de fine *Theolog:*
agit tum objectivo, DEO, tum
formali, fruitione DEI. Altera
de subjecto homine post lapsum
ad DEUM, DEIQUE fruitionem
aternalam perducendo. Tertia de
mediis, ad obtinendum finem
quocunque modo facientibus.

Ratio partitionis elucescit è natu-
râ habitus Theologici, qui practicus est, &
ex methodo Analytica practicarum di-
sciplinarum propriâ, quod à præcogni-
tione finis ac subjecti procedant ad per-
tractationem mediorum, siue *κρυπῶς*, seu
παρακρυπῶς ita nuncupatorum: quem-
admodum hæc in tractatu de *Methodo*
docendi & disputandi volumine pecu-
liari scriptorum, Philosophicorum exe-
quuti sumus.

Quod

Aliorum
partitio-
nes.

1. Thoma.

Quod autem ad aliorum divisio-
nes, 1. *Thomas*, quem plerique *Thomis-
te* sequuntur, Theologiam in tres dis-
pescit partes: De DEO *in se*: ut
de DEO, ut *finis est ultimus*, vel *me-
tu rationalis creaturae in DEUM*; ac de-
inde de DEO, ut *Redemptor est*, vel
CHRISTO, qui *via nobis est ten-
dendi in DEUM* p. 1. q. 2. Quae parti-
tio magis nostrae congruit, quam hy-
pothesi Thomae, (quod Theologia *spe-
culativa* magis sit, quam *Practica*),
maleque ad DEUM, ut est *finis ulti-
mus*, doctrinam de *virtutibus* ac *vitiis*
reducit.

2. Senten-
tiorior.

2. *Sententiarum Magistrum suum
Lombardum* l. 1. dist. 1. secuti, ex *August.
l. 1. de Doctr. Christ. c. 2.* distribuunt
eam in doctrinam *rerum & signorum*.
Res autem dicuntur *aliae*, quibus *fruen-
dum*, quae nos beatos faciunt, *aliae* *qui-
bus utendum est*, & quibus tendentes
ad beatitudinem adjuvamus: *aliae*
quae fruuntur, & *utuntur*, quales sunt
homines: *Signa* sunt *Sacramenta*.
Haec divisio ut ad naturam habitus
Practici accedit propius: sic ad no-
stram

stram reduci potest : quâ tractatio
Theologica occupatur circa hominem
ut *subjectum*, quod *fruitur & utitur* :
circa *DEUM* ut *finem*, quo *fruimur*, &
circa *media*, quibus *utimur*, ut ad frui-
tionem perducamur *DEI*, à quibus ta-
men *Sacramenta* seqvestrandam non
sunt.

3. Socinus in *Brev. Relig. Christ.* 3. *Socinia-*
Instit. & Catech. Racov. distribuunt *norum*,
Theologiam in *cognitionem DEI &*
CHRISTI, quorum vestigia legunt
Arminiani, *Confess. cap. 2.* At Sociniani
CHRISTUM DEUM negantes, & circa
ejus cognitionem potissimum *Propheti-*
cum CHRISTI munus, quod nobis
promissis & præceptis absolvi volunt,
planè aliam Theologiam, antehac in-
cognitam, fabricant, ad quorum ta-
men confinia *Arminiani* accedere non
dubitant.

4. Volckel. Socinianus libris de 4. *Volckel.*
Verâ Religione, de DEO & DEI operibus
ita tractat, ut circa *gubernationem ho-*
minis religionem tum priorum tempo-
rum, tum posteriorum, quam *Christia-*
nam facit, consideret, atque in hæc,
paucis-

paucissimis præmissis de *naturâ Christi* totam tractationem complectatur. *Prophético Christi munere*, quæ promissis ejusdem & præcepta, subjunctâ doctrinâ de *Ecclesia Christi*: in quâ divisione ἡδὲν ὑγιᾶς.

Weigel.

5. *Weigel*, suæ ὑποθέσει δγλεύει in *Præfat. Theol.* dispescit *Theologiam* in cognitionem nostri, *DEI*, & *CHRISTI*, sed omnes partes pessimè pervertit.

Calvin.

6. *Calvinus* quatuor constituit partes; *De Cognitione DEI Creatoris*; *de Cognitione CHRISTI Redemptoris*; *de modo percipiendæ CHRISTI gratiæ*; & *de externis mediis ad salutem ducentibus*.

Catech. Heidelberg:

2. *Catechesis Heidelberg.* tres partes assignat, *de hominis miseriâ*, *de liberatione hominis*; ac *de gratitudine*.

Reformat. reliq.

8. Pleriqve è *Reformatis* in duas *Theologiam* dirimunt sectiones: *de DEO absolute*, quæ *in se est ab æterno*, & *de operibus DEI*, quibus se patefecit in tempore, ut *Sohnius Tom. 1 Oper. Method: Theol: p. 102.* vel *de DEO*, tum *in se*, tum *extra se*, atque hoc pacto, vel quæ

quâ Creator, vel quâ Redemptor est: seu
 quoad duplex genus operum, Nature, &
 Gratiæ, ut *Tilenus Synt. disput. i. p. 12.*
 vel de DEO absolute, & ad creaturas re-
 lato, quâ Creator, Redemptor, Sanctifica-
 tor, Glorificator est, ut *Maccov. Loc.*
Commun: diss. vel de DEO, & operi-
bus DEI, tum in antecedente decreto,
tum in subsequente executione spectatis,
ut Alting. in Loc. Commun. didact. qui &
Orat. Inaugur. de Nat. & Meth. Loc. Com-
mun. Ursini cum primis laudat senten-
tiam, vix ullam methodum convenien-
tiorem historicâ videri, hoc est, tali, quæ
historiæ seriem secuta à DEO ad opera
ejus, ab æternis, ad ea, quæ in tempore
sunt, & facta sunt, à prioribus ad poste-
riora progreditur. Sed hi aberrant par-
tim in assignando objecto, quod DEUM
faciunt, partim in methodo, quod non
progrediantur à fine ad media, quod
contra eos urget Polan. l. 2. Synt. Theol.
c. i. p. 131. quodque methodum Synthe-
ticam hinc eligant, quum Analytica ob-
servanda sit, ut rectè docet Lud. Croc.
l. i. Synt. Theol. c. ii. simulq; à Catechesi
Heidelb. in quam pleriq; jurare solent
Reformati, abeunt, quæ longè aliam;
 magis

magis ad naturam Theologiæ accedentem, exigit methodum & partitionem. Placet autem sine dubio præ cæteris *Altingio Ursini* methodus, quod incrustando *absoluto decreto* convenientior sit.

*Aliorum
Partit.*

9. Alii διχοτομοῦν Theologiæ aliter instituunt, eamq: dividunt in doctrinam de Fide, & Fidei actionibus, vel Bonis Operibus, vel etiam in partem Theoreticam de credendis, & Practicam de agendis, utpote *Polan. in Partit. & Syntagm. &c.* vel de DEI agnitione & de cultu ejusdem, ut *Wendel. Proleg. Christ. Theol. c. 4.* Ubi ineptè CHRISTUM has partes *Marc. 1. 15.* exponere ait: *Respicite, & credite Evangelio.* Aliud vel ipse ordo docere poterat verborum CHRISTI: Et, num *Evangelio credere* idem est, quod *agnitio DEI*, ac *respicentia* idem, quod *cultus DEI*? Ex his supponunt nonnulli, Theologiam esse habitum mixtum, partim Theoreticum, partim Practicum, quod absurdum alii agnoscunt Theologiam esse Practicam: cur ergò in ejus divisione non attendunt naturam habitus practici? *Theologia,* inquit *Polanus,* præcipuus hujus

hujus divisionis propugnator l. 2. Synt. c. 2. est disciplina practica, cujus finis est operatio, ideo à fine ad media, quæ ducunt ad finem, progrediendum. Quomodo verò hæc divisione proceditur à fine ad media! Num *Fides finis* est, *Bona opera media* sunt? Quod si *Finis* & *Subjectum* dicantur præsupponi, ubi ergò ea proponuntur, unde ea petere debeat Theologia, quum hæc superiorem sese non agnoscat disciplinam? quomodo denique *Bona Opera mediis salutis* accensebuntur? Subesse ergò videtur sub hæc partitione error gravissimus, quasi & *Fides* & *Opera Bona media* sint salutis, ut non dissimulat Polanus. *Quæ autem sunt media*, inquit, *quibus ad hunc finem contendimus?* nonne *Fides* & *Bona Opera*? Certè *Fide* & *Bonis Operibus* glorificamus Deum, *fide vivâ, efficace per charitatem*, h. e. quæ *Bona Opera* veluti fructus suos producit, beatitudinem eternam consequimur.

10. Ejusdem erroris reus agitur Horneji, non immeritò D. Hornejus *Diss. Theol. p. 1. Diss. 1. p. 26. tres assignans partes Theologiae, doctrinam Fidei, vel de Credendis, doctrinam de mysteriis vel Sacramentis,*

& doctrinam morum. Asferit quidem ex mente veterum ita distribui, sed quis veterum hanc distributionem tradat, non exprimit. *Doctrinam Fidei* dispescit in *θεολογίαν ἀπλήν*, & *οἰκονομίαν*, ad *Basil. l. 2. contra Eynom.* & *Gregor. Nazianz. Orat. 42. serm. 2. in Pascha* provocans: Sed illi non Universam Theologiam, ut ex inspectione locorum patet, sed duo illa precipua Mystra de *S.S. Trinitate*, & *Incarnatione Filii Dei*, his discriminant appellationibus, quibus certè universa Theologia non exhauritur, etsi pleraque suo modo ad ea reduci posse non inficemur. Porro dum *Sacramenta* contradistingvuntur *doctrinæ Fidei* & *credendis*, cavendum, ne *doctrina de Sacramentis* è *necessariis Fidei articulis* excludatur, quod à *Calixto* fieri suo loco docuimus; nec alienus ab hoc errore est *Hornejus*, quum *lib. 41. p. 30.* asferat: *articulos omnes Fidei, vel precipuos certè, qui totâ Scripturâ traduntur, Symbolo Apostolorum contineri.* Quid ergo num doctrina de *Baptismo*, vel *S. Cœnâ*, aut planè non erit *articulus Fidei*, aut non *precipuus*? sed quod *precipuum*

cipuum hic fovetur ὑπερλον, proferimus. Dum Theologiam Practicam esse demonstrare satagit, hæc subinde inculcat p. 33. *Fides, quæ sine operibus est, mortua est, nec hominem justificat, aut salvat.* p. 34. *Nec sanè Scriptura fidem aliam inculcat, quàm quæ justificemur & salvemur, quàm quæ per charitatem efficax est;* & p. 35. *Quod si cognitio & Fides non justificat, nisi ea, quæ cum charitate conjuncta est, & tota cognitio nihilest, nisi ei copuletur, imò charitas major est fide; ut hæc in cognitione tantum consistit, ita profectò Theologia cognitionem Dei docet, ut aliud quippiam, quod ipsa majus est, in actione positum ei adjiciat. Sic ergò charitas & actiones nostræ adjiciendæ erunt Fidei (ut fides justificet,) ut majus quiddam: & annon ita magis justificabit charitas, quàm Fides? Ad salutem utique, & Fidem, & Bona Opera necessaria esse, omni quo potuit studio, asseruit Hornejus, opera bona causam esse sine qua non salutis contendens, *Disput. de Fide non qualibet, Iter. Asfert. perbrevis defens. & Repetit.* Neque aliter Calixtus ad Theologia moralis (quæ tertia pars est Theologiae, secundum*

Hornejum) finem salutem ac beatitudinem æternam reducit Bona opera, sub ratione mediæ, à quo eadem pendet. Neque nunc, inquit, medium ipsum, quo consequutio finis secundum hanc considerationem PENDET, ignorari poterit; id videlicet est sanctitas vitæ, posita in actionibus legis, & voluntati DEI conformibus. Epit. Theolog. Moral. p. 3. & 4. scil. juxta illud Davidico-Paulinum Rom. IV. 6. Beatitudo ejus est, cui DEUS imputat justitiam, $\chi\omega\epsilon\acute{\iota}\varsigma$ ἔργων, SINE OPERIBUS! Quanto rectius B. Ignat. Epist. ad Ephes. δεχῆ ζωῆς πίστεως, τέλει δὲ ἀγαπῆς. Principium vitæ Fides, finis ejusdem charitas: Vitæ & salutis principium vel medium constituens solam fidem, charitatem autem non medium, salutis, sed finem indigitans.

Polani.

II. Revocat Polanus ad suam divisionem in Fidem & Opera, eam, quæ ut DEI verbum in Legem & Evangelium distribuitur; sed hanc alii rectius pro diversâ habent, prout ipse ordo docet, quum Lex in Pædiâ Theologica præmittatur Evangelio; Ipsi verò doctrinam operum non præmittendam.

sed subjungendam censeant *doctrina de Fide*. Quum verò *Lex*, quæ hominem in statu peccati constitutum, *Pædagogus* sit *ad CHRISTUM Gal. III. 24.* idè Legi doctrina juxta leges methodi necessariò *prelibanda* venit, anteqvam ad doctrinam de *CHRISTO* accessus fiat: Etsi postmodum, quæ *informationem eorum*, qui per Fidem in *CHRISTUM* justificati sunt, *virtutes* secundum normam Decalogi præscribi queant, imò debeant.

12. *Keckerm.* in *Syst. Theol.* pensã habitã indole habitus Practici, duas facit Theologiæ partes: *καθολογικὴν* de *hominis miseriã*, & *θεραπευτικὴν* de *remediis miseriæ*, quibus præmittit doctrinam de *Principiis*, tum *rei*, seu *Deo*, tum *Cognitionis*, *patefactione divinã*. Sed cum hoc pacto *doctrina de DEO* è partibus Theologiæ eliminetur, & *doctrina de Verbo DEI*, & *Scripturã S.* tractationi de *DEO*, quæ potissimum è *Scripturis* haurienda est, postponatur, idcirco per omnia divisionem hanc probare non possumus. Hinc *Trelcatii* *Trelcatii.* in *Scholast. Loc. Comm. Institut.* eandem divisionem ita visum fuit persequi, ut

præmitteret tractatum de cognoscendâ Principio Scripturâ S. eiq; subjiceret tractationem de Principio essendi, seu DEO. Cæterum is duas facit partes: de Causis, & de subiecto salutis: ἀναβάδων prorsus causas salutis expediens, antequam de Subiecto agat, & tractationi de statu integritatis & peccati præmittens considerationē causarum & mediolorum quibus à peccato liberamur, & ad salutem perducimur. Guilb. Bucan. in Loc. Côm. distribuit pariter Systema Theologiæ, cum Keckermann. sed partes assignat de statu Integritatis & de statu Corruptionis, in quo & causam, peccatum, & remedium expendit. Verum quo jure (ut alia divisionis ἀναβάδων prætermittamus,) in Practicis à Principiis exordium fiat, non apparet: Unde non diffitetur ipse Treleat: hanc methodum Syntheticam esse, quam Theoreticis consecrat πρὸν τὴν πρακτικὴν.

D. Calixti.

13. D. Calixtus in Epit: Theol: quem sequitur Ludov. Croc: in Syntagm: dispescit Theologiam in partem Communem & Propriam: in Illâ tractat, tum de sine hominis absoluto

lutè summo & ultimo, tum de Subiecto, homine, ejusque Principio, DEO; tum de Principiis ac mediis salutis; in hac verò agit de Ecclesiâ. Sed hîc quæri primum posset, ubi relinqvatur doctrina morum, quam peculiarem partem Theologiæ fecerat Hornejus? Si, quod apparet è distinctâ Theologiæ Mor. Epitome Calixtinâ, distincta hæc constituenda Theologia, annon hoc erit Entia multiplicare præter necessitatem, quum circa consequentia fidei, de virtutibus secundum Decalogum in Epitome Theologiæ traditum fuerit? Deinde num satis commodè vel doctrina de extremo judicio, ut & de fine mundi præmittatur tractationi de DEO, vel quicquid omninò de Novissimis tradi potest, in limine Theologiæ expediatur; vel circa considerationem hominis de DEO agatur, adeoque DEUS solùm sub notione principii hominis, ceu Subiecti Theologiæ proponatur? Denique num partem propriam Theologiæ, ac peculiarem constituat doctrina de Ecclesiâ, quandoquidem de Ministerio Verbi jam in

parte *Communi* actum sit? &c. Hæc
 & hujusmodi alia *Calixto* expendenda relinqvimus : intereâ vitio non
 vertet nobis , qvod calculum ejus divisioni per omnia non addamus. Sed
 hæc impræsentiæ de *Theologiæ*
 partitione ; Aliàs suo loco & tempore de his fusius. Imponimus sic colophonem tractationi nostræ de naturâ *Theologiæ* , & *DEO* , *Theologiæ*
 autori , conservatori ac vindicæ
 laudem ac gloriam tribuimus.



INDEX CAPITUM ET MA-
TERIARUM PRÆCIPUARUM
TRACTATUS DE NATU-
RA THEOLOGIÆ.

- Caput I. De nominis significatione.* pag.1.
Origo vocis Theologiæ p.1.
Vocis λόγος & Theologiæ varia significatio.
p.4.
Nomen DEI quomodo hîc adhibeatur? p. 6.
Ratio appellationis Theologiæ. p.7.
Prima vocis impositio à quibus? p. 8.
Quomodo Ebræi Theologiam vocent? p. 10.
Nomina Græca & Latina. p.11.
Homonymia vocis Theologiæ. p.13.
Theologia DEI & Angelorum. p. 15.
Theologia hominum. p. 16.
Theologiæ revelatę diversa acceptio. p.17.
Theologia speciali sensu μερικῶς vel ὀλι-
κῶς dicitur. p. 18.
Theolog. accidentalis consideratio. p. 20.
*Caput. II. De distinctione Theologiae nomina-
li in veram, & falsam: Archetypam, &
Ectypam.* p. 21.
Distinctio Theologiæ in veram & fals. p. 22.
Theologiæ Gentilium distinctio. p. 24.
Theologiæ distinctio in Archetypam, & Ecty-
pam. p.25.

Theologia Ectypa in Christo. p. 26.

Refutatio Calvinianor. de Theologiâ Ectypâ
p. 28.

De Põntificiorum intuitu beatifico p. 32.

Joh. Bergii Sententia de omniscientia Christi
confutatur. p. 36.

Calviniani hic *αὐτοκατανέμειρος* errant. p. 37.

De Theologiâ Angelorum. p. 39.

An discursus cõveniat Angelis. p. 41.

*Caput III. De distinctione Theologiæ Ectypæ
hominum in Theologiam revelationis & visio-
nis, itemq; Paradisiacam, & Christianam.*
pag. 42.

Theologia alia revelationis, & viæ, alia visio-
nis & Patriæ. p. 42.

De habitu fidei an beatis conveniat? p. 43.

De Theologia Paradisiacâ. p. 45.

De concreatâ Theologiâ. p. 46.

Theologiâ Paradis. revelatâ. p. 49.

Loci Communes Theologiæ Paradisiacæ.
p. 50.

Quibus articulis locus tũm non fuerit. p. 57.

An doctrinæ de Sacrificiis? p. 57.

Num in statu integritatis Messias venturus fu-
isset? p. 59.

Calixti sententia. p. 65.

*Caput IV. De distinctione Theologiæ in Natu-
ralem, & Supernaturalem, & speciatim de natu-
râ Theologiâ, ejus capitibus, & imperfectione.*
p. 69.

- Theologia naturalis ante & post lapsum.
p. 70.
- Theologia naturalis post lapsum ratione principiorum. p. 72.
- Non omnia in gentiliū scriptis ad Theologiam naturalem referenda. p. 73.
- Capita Theologiæ naturalis. p. 75.
- Theologiæ naturalis distinctio in insitam, & acquisitam. p. 76.
- Socini sententia de insitâ Theol. p. 76.
- Flacii. p. 77.
- Confutatio. p. 78.
- De acquisitâ naturali *θεογνωσία*. p. 80.
- Probatur ea contrâ Socinian. p. 81.
- Insufficiētia naturalis Theologiæ ad salutem.
p. 87.
- Pontificiorum sententia. p. 87.
- Weigelianor. Zvvinglian. p. 88.
- Arminianorum. p. 91.
- Declaratio Patrum Orthodoxorum p. 92.
- Unde gentiles nonnulli ad tantam rerum sacrarum notitiam pervenerint? p. 94.
- Contrâ Calixtinos. p. 97.
- Caput V. De distinctione Theologiæ revelatæ in immediatè revelatam, & mediatè, aliisque nominalibus distinctionibus.* p. 101.
- Theologia immediatæ inspirationis. p. 110.
- Revelationes variæ. p. 103.
- Apparitionum Filii DEI in V. T. distinctio à manifestatione in carne. p. 107.

De manifestatione per verbum internum
p. 108.

Deum non amplius immediatè nos informa
re. p. 113.

Distinctio Theologiæ in ordinariam, & extra
ordinariam. p. 117.

In Catecheticam, & Diexodicam &c. p. 118.

Caput VI. De existentia Theologiæ. p. 122.

Argumenta existentia Theol. p. 122.

Quinam Theologiam negent? p. 125.

Theolog. distincta est disciplina. p. 126.

Theologia una est disciplina. p. 129.

Confutatio sententiar. contrariar. p. 131.

Cap. VII. De causa efficiente Theologiæ. p. 135

Causa efficiens principalis. p. 135-

Minus principalis. p. 138.

Ministerialis causa. p. 141.

Caput IIX. De Revelatione divina. p. 142.

Revelationis Definitio. p. 142.

Nomen revelationis. p. 142.

Forma. p. 145.

Objectum. p. 147.

Subjectum, p. 147.

De Speculo beatorum Papistico. p. 148.

Revelationis finis p. 150.

Causa efficiens Deus p. 150.

De criteriis divinæ revelationis. p. 151.

Causæ ministeriales p. 152.

De Sibyllis: earum nomine. p. 153.

- De Numero Sibyllar. p. 154.
Recensio earundem. p. 155.
De autoritate Sibyllar. p. 157.
An confictæ sint? p. 158.
Socini sententiæ. p. 158.
Argumenta Socini examinantur. p. 159.
Sentent. Peuceri, nomen Sibyllæ esse
doctrinæ, non personæ. p. 160.
εωνιερων. p. 161.
Philippi sententia. p. 161.
Aliorum, qui Sibyllis autoritatem divi-
nam tribuere. p. 162.
Sententia media. p. 164.
Fuisse vatidicas Sibyllas. p. 164.
Unde illis mysteria fidei innotuerint?
p. 166.
Non esse Sibyllina omnia, quæ talia
creduntur. p. 167.
Quamnam probandi vim habeant Si-
byllina. p. 170.
Finis revelationis. p. 171.
Distinctio revelationis divinæ à Diaboli-
câ. p. 172.
Revelationis materia p. 173.
Revelat. divinæ forma. p. 178.
Opposita: Diabolicæ revelat. p. 179.
De Theomantiâ. p. 182.
De Enthusiasticis. p. 183.
De Ecstaticis. p. 184.

Deq; 2. Cor: XII. p. 185.

De Magiâ & γοητεία. p. 186.

De sortibus divinatoriis. p. 188.

De revelationibus Diabolicis in Ecclesiâ. p. 191.

Contrâ revelationes Pontificior &c. p. 194.

Caput IX. De Fine Theologiæ. p. 199.

Theol. finē esse perductionē ad salutem. p. 200.

Theol. est habitus Doctorum. p. 202.

Thomæ sentent. quod Theol. finis tum

Theoreticus tum Practic. sit refutata. p. 204.

Bonaventuræ opinio, quod medium quid sit

inter Speculat. & Pract. confutata. p. 205.

Durandi quod simpliciter speculativ. sit. p. 205.

Aliorum opinio. p. 206.

Finis cui, & cuius. p. 207.

Finis Theolog. internus & externus. p. 208.

Fines speciales. p. 210.

Finis intermedius externus. p. 211.

internus. p. 211.

Cap X. De formâ Theologiæ & genere. p. 217.

Genus remotius Habitus. p. 218.

Reprobatur Doctrina. p. 218.

Disciplina, institutio, revelatio. p. 219.

Agnitio veritatis. p. 220.

Propinquum: Habitus practicus. p. 221.

Probatur Theologiâ esse habitum practicum p. 222.

Reprobantur opiniones aliorum, qui Theo-

log: neq; speculativam, neq; Practicam esse

docent. p. 228.

Qui purè speculativam. p. 230.

Qui mixtam. p. 230.

Ratio

- Rationes Scholastic. expenduntur. p. 232.
Rationes Alstedii & Bergii expend: p. 236.
Except. Gregor. de Valent. p. 246.
Cognitionē fidei Practicā esse in Theol. p. 248.
An Theologia sit sapientia? p. 249.
Nū magis sit Speculativa, quā Practica! p. 249.
Quomodo Deus se cognoscat, Theoricè, an
Practicè? p. 250.
An conditiones Sapientiæ convenient Theo-
logiæ? p. 253.
Exceptiones Alstedii diluuntur. p. 254.
An Theologia sit scientia? p. 261.
Rationes pro negativa. p. 262.
Quomodo Theol. Practica dicatur. p. 264.
Quomodo omnia ad praxin dirigantur in
Theologiā. p. 266.
Contra Drejeri calumniam. p. 267.
Committitur Drejerus cum Calixto. p. 269.
Praxis Theolog. quænam. p. 272.
Cognitio & praxis quæ notitiā Dei æquè prin-
cipaliter respicitur in Theol. p. 273.
Genus proximum. p. 275.
An Prudentia sit: contra Keckerm: p. 276.
Qualis habitus Practicus sit Theol. p. 286.
Capit. XI. De objecto Theologia.
Subiectum informationis. p. 283.
Occupationis p. 284.
Alior. opinio. de Subiecto reprob. p. 285.
Sentent. Gillii examen. p. 286.
Objectum Speciale. p. 290.
Alior. opin. refutata, quod nō sit Deus. p. 291.
Nec

Nec actus salutareſ p. 293.
Nec Deus ut Salvator. p. 294.
Nec ſub ratione veri. p. 295.
Nec regnum Dei &c. p. 296.
Objectum generale. p. 299.
Diviſio rerum, quibus fruimur, vel
mur. p. 299.

Caput XII. De Religione.

Nomen : Derivatio. p. 301.
Æquivocatio. p. 303.
Religiones Pontific. confutata. p. 304.
Jac. I. 27. p. 327.
Diſtinctio nominis. p. 311.
De Col. II. 18. p. 312.
Appellatio Synonymica. p. 316.
Definitio. p. 315.
Attributa religionis. p. 317.
Symbolica Profeſſio. p. 319.
Contra Calixtinor. p. 319.
Oppoſita religioni. p. 321.

Cap. XIII. De Theologia definitione & attributis.

Definitio p. 324.
Attributa Theologiæ. p. 326.

Cap. XIV. De Theologiæ partitione.

Diſtributio Theologiæ. p. 330.
Partes ejuſdem. p. 331.
Aliorum partitiſo reprobata. p. 332.

FINIS.

